Poemata omnia, nunc multo, quam antea, emendatiora / Accesserunt reliquiae Joannis Cottae, Jacobi Bonfadii, Adami Fumani, Nicolai Archii, poetarum Veronensium. [Edited by G.A. Volpi].

Contributors

Fracastoro, Girolamo, 1478-1553
Cottae, Joannis.
Bonfadii, Jacobi.
Fumani, Adami.
Archii, Nicolai.
Volpi, Gio. Antonio, 1686-1766

Publication/Creation

Patavii : J. Cominus, 1718.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ymqneem6

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

F. IX. b
16
9th

office
12/7/11

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS POEMATA OMNIA,

Nunc multo, quam antea, emendatiora.

Accesserunt reliquiae Carminum

JOANNIS COTTAE, JACOBI BONFADII, | ADAMI FUMANI, NICOLAI ARCHII,

Poëtarum Veronensium.

PATAVII. CIↃ IↃCC XVIII.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.
Superiorum Permissu.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Marchioni Illustrissimo,

SCIPIONI MAPHAEO,

NOBILI VERONENSI,

Eruditissimo, ac Sapientissimo Viro,

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

VLTAE caussae me impulerunt, SCIPIO MAPHAEE, Vir illustrissime ac sapientissime, ut HIERONYMI FRACASTORII

Poëmata, *itemque* JOANNIS COTTAE, JACOBI BONFADII, ADAMI FUMANI, & NICOLAI ARCHII, *Veronensium Poëtarum*, *Carmina nonnulla*, *suavitatis atque elegantiae plenissima*, *quae nunc nostris curis emendata de integro prodeunt*, *in tuo potissimum nomine apparere vellem*. *Primum enim*, *quam de tua singulari virtute*, *praestantique literarum scientia*, *opinionem jamdiu animo imbiberam*, *eam omnibus certo aliquo testimonio significare vehementer cupiebam*; *non quod ex meo qualicumque suffragio ullam tibi gloriae accessionem fieri posse existimarem*, *quippe hoc levitatis ac dementiae fuisset non ferendae*: *sed potius ut in te observando colendoque ipse*

mihi

mihi satisfacerem, ab eorumque stupore longissime abessem, qui maximorum ingeniorum luce, insolitaeque doctrinae specie nihil admodum commoventur. Deinde illud cogitabam; quemadmodum olim FRACASTORIUS, *doctissimis monumentis ad sempiternam memoriam temporis propagatis, Urbis Veronae, in qua natus erat, Italiae totius, ac sui denique saeculi decus atque ornamentum exstitisset, eamque scribendi carminis facultatem adeptus esset, ut uno Virgilio inferior, vel aemulorum confessione judicaretur: sic te ex amplissima vetustissimaque familia pariter Veronae ortum, divina providentia delectum esse, qui Scriptis editis immortalibus aetatem hanc nostram mi-*

rifice illuſtrares. Nemo ſatis pro dignitate laudare poſſit Libros illos tuos vere aureos, in quibus contra falſas quorumdam opiniones acerrime diſputas, qui futilibus impiiſque praeceptis nobilium virorum animos contentionis rixaeque cupidos efficere ſtudebant. Eas nimirum diſputationes, ſimulac typis deſcriptae circumferri coepere, tanto favore omnes boni proſecuti ſunt; ii praeſertim, quos curare oportet, ne quid Chriſtiana Reſpublica detrimenti capiat; ut veteris immanitatis notas, quas barbarorum in Italiam adventus noſtris moribus foediſsime inuſſerat, ſapientia tandem tua penitus deletum iri praedicarent. Quis autem non valde miretur, hominem Philoſophiae ſemper vacantem, ſummique

offi-

officii rationem diligentissime perquirentem, si ad mansuetiores Musas oblectamenti caussa interdum accesserit, iis palmam eripere, qui aetatem omnem in eo studiorum genere consumserunt? Te vero ejusmodi esse quum alia multa testantur, tum in primis Tragoedia nobilis, quam ad veterum Graecorum lucernam elaboratam, his proximis annis publice spectandam exhibuisti. haec scilicet ubicumque locorum acta est, fletum spectatoribus excitavit; nec tantum quum nova daretur, at decies repetita multitudinis oculos tenere potuit. Praeclarum est, in singulis disciplinis singulos homines excellere; at quanto praeclarius, unum aliquem reperiri, qui quaecumque in disceptationem cadunt, innumerabilia

ſane, ac nullis prope terminis definita, animo univerſa comprehendat? Si quis hoc fieri neutiquam poſſe arbitratur, is domum tuam veniat, tecum colloquatur, periculum faciat in literis, in arte dicendi, in diſſerendi ſubtilitate, in Phyſicis, in Geometricis: interroget de pietate, de juſtitia, de finibus bonorum, de adminiſtratione reipublicae, de inſtitutis populorum: hiſtoriam ſibi promi petat, poëtam aut oratorem explicari, veteris lapidis aut numiſmatis inſcriptionem declarari; nulla ex parte imparatum offendet, ſed contra omnibus doctrinis et artibus inſtructiſsimum admirari cogetur. Ad has cauſſas, quas hactenus memoravi, illa vel graviſsima accedit, te, ſi quis alius hoc tem-

pore,

pore, cum fucata eloquentia justas inimicitias suscepisse, nihilque in dicentibus probare solere, quod non simplex, non candidum, non rectum, non denique utile sit. Est hoc nobilitatis tuae, quam animus veritatis studiosus, et qui neminem fallere postulet, summe decet. quid est enim tam plebejum, quam vel in vita vel in oratione mendaciis rem agere? Quo fit etiam, ut ab omni arrogantia superbiaque maxime abhorreas, quae vitia plerique nobilium otio diffluentes, eo consilio adhibent, ut nimirum inertiam suam ad populum tegant, ac ne plane cessare videantur. Et quamquam generis claritate, ceterisque ornamentis, quae ipse tibi magna virtute comparasti, nemini concedas, Fra-

trem-

tremque habeas, apud Principes Germaniae Viros gratia, opibus, dignitatibus mire florentem, nihilominus facilem te in audiendis admittendisque hominibus praebes, comiter unumquemque appellas, citiusque fortunae tuae obliviscaris, quam humanitatis. Accipe igitur, Vir sapientissime, hilari vultu munusculum hoc nostrum, Poëtasque elegantissimos, cives tuos, et ipse amare, et aliis commendare velis. Hoc mihi gratius accidere nihil potest. Vale.

Patavii CIↃ IↃCC XVIII. Kal. Septembris.

LE-

LECTORI
BENEVOLO.

ON ſum neſcius, erudite Lector, plurimos inveniri, qui de Poëtarum ſtudiis, deque univerſo genere Poëſeos ita ſtatuant, rem eſſe minimi pretii, & quae magna ingenia ab inquirendae veritatis ſtudio ad nugas & ſomnia ſaepe traducat: proptereaque recte Platonem feciſſe dicant, qui a Republica illa ſanctiore, quam ipſe optimis legibus inſtituebat, eos omnes excluſerit, qui verſibus & fabulis delectarentur. Hujuſmodi hominibus poëmata offerre perinde haberetur, ac ſi Pentheum Bacchis diſcerpendum traderes; adeo ſunt pertinaci animo ac fero, Muſiſque inimico. Cum his porro diſceptare velle quid eſt aliud, niſi inanem operam ſumere? contracto enim ſemel ſupercilio, judicioque facto, citius ſe ſpiritum amittere, quam de ſententia dimoveri patiantur. Qui ſi delicias ita odere, ut nihil humanitati dandum putent, omniaque ad veram directamque rationem exigi oportere clamitent, non video, cur ullam aut in victu munditiam, aut in veſtitu elegantiam adhibeant: cur artes ullas probent, praeter eas, quae, ut vitae neceſſitatibus inſervirent, rudibus adhuc ſaeculis inventae ſunt. At hos, quoniam communi hominum ſenſu ſatis refutantur, & ſua ipſi triſtitia abunde puniun-

niuntur, Diis iratis ſuis relinquamus: remque Poëticam hactenus in civitate retineamus, quoad ingenuam ex illa voluptatem capere poſſumus. ceterum parcat ea moribus juventutis, maledicto abſtineat, ne incurrat in famam bonorum, ne prava exempla in ſcenam immittat: recte facta potius illuſtret, virtutes laudet, diſciplinas ornet, ſalibus etiam interdum ac deliciis utatur, ſed illis innocuis ad hilaritatem, non perniciosis ad corruptelam. Eſt aliud genus hominum, qui ſe quidem Muſas amare dicunt, & poëmata magni facere, ſed qui perverſe adeo de Poëtis judicant, ut illis ejuſmodi aures eſſe exiſtimes, quales olim Regi Midae fuerunt; cui ſcilicet Jovis filium Apollinem, dignum convivio Deorum citharoedum, ad Panos ruſtici Numinis ſuavitatem nimium nugatorem viſum fuiſſe perhibent. Enimvero majus in haec ſtudia periculum intenditur ab his qui ſe amicos profitentur, quam ab illis, de quibus antea diximus, reprehenſoribus. nam illi quidem ſuum negotium agunt, ac veluti in alio terrarum orbe collocati, noſtra neque attingunt, neque magnopere curant: hi vero importune adſunt, inſiſtunt, omnia permiſcent, omnia inquinant, & quum elegantiores Muſas vix a limine ſalutaverint, vel in eos magiſtros inciderint, a quibus nihil ſapere docti ſint, nihilominus, tamquam ex tripode ac lauru, conſulentibus reſpondent, unumquemque ſcriptorem trutina examinant, ſuas cuique dignitatis partes tribuunt, alios probant, alios damnant, indicta ſaepe cauſſa; quod iniquiſſimum pariter ac ſtultiſſimum eſt. Horum ju

dicio

dicio (ut in praesentia tantummodo leviora persequar, & exemplis res illustrior fiat) Catullus, quem Aulus Gellius elegantissimum Poëtarum appellare non dubitavit, quem omnis antiquitas sic est admirata, ut docti cognomine donaverit, asper atque horridus est, iis vero numeris gaudet, quos eorum delicatissimae aures ferre nullo modo possint; penitus insuper argutiis caret: (hoc nomine ipsi pueriles ineptias, crebras paranomasias, exquisita antitheta, absurdas translationes, & reliquas hujusmodi orationis labes honestare consueverunt) ad haec, quod maxime dolendum est, obscuras historias fabulasque consectatur, quae lectorem alio properantem, non sine temporis dispendio, idemtidem remorantur. Quod si forte de Lucretio mentio facta fuerit, tum vero nauseant, vehementerque indignantur. nam, praeterquamquod scriptor ille ἄθεος religionem omnem funditus tollere conatur, longissime quoque abest ab ea suavitate, quam ipsi venantur assidue: Ennii, ac Pacuvii vestigiis nimium insistit, verbis utitur obsoletis, hiulcos dissolutosque numeros amat, ita denique agrestis, ita incomtus est, ut a pueris gratiam omnino inire noluisse videatur. Fuerit Lucretius optimus Latinitatis auctor; quid tum? id ipsi in minima laude ponunt: non enim Latinam, sed mollem potius & pictam orationem requirunt, qualem hoc proximo saeculo ingeniosissimi homines, bona Ciceronis, aliorumque veterum venia, in medium protulerant, nunc vero ingenti piaculo scelesti quidam oppugnare non verentur. Quamobrem & Virgilium accusant, quod antiquiorum

auctó-

auctoritatem ſecutus, non uſquequaque concinnum ſe praebeat: Lucanum, aut Statium, aut Claudianum, ſi diis placet, in condendo carmine rotundiores eſſe ajunt; vel ſi hoc dicere reformident, imitatione tamen ſua, quum aliquid ipſi ſcribere aggrediuntur, quid ſentiant, ſatis aperiunt. Jam de Elegia, ejuſque ſcriptoribus, mirum eſt, quantum a Fabio Quintiliano diſſentiant, qui nimirum literis tradiderat, in eo genere *ſibi terſum atque elegantem maxime auctorem Tibullum videri; non deeſſe tamen, qui Propertium mallent*: *Cornelium* autem *Gallum duriorem*, *Ovidium laſciviorem* eſſe pronunciavit. Inepti ſcilicet ac praeposteri homines, meliores ſe harum rerum aeſtimatores fore confidunt, ac ille olim vir exſtiterit, ea praeſertim aetate natus, qua verius longe certiuſque judicium de hujuſmodi ſtudiis fieri poterat, quam hac noſtra. nondum enim deſierant Latina lingua loqui, & quid eſſet Romanae elegantiae, vel tabernarii & aniculae facile dignoſcebant. In uno igitur Ovidio libentiſſime conquieſcunt, hunc unum admirantur, hunc ſibi ad imitandum proponunt: quam vero ejus ſimiles evadant, ipſi viderint. niſi forte in optimorum imitatorum numero reponendi propterea ſunt, quod ſemper de faece haurientes, & ea potiſſimum colligentes, in quibus ingenio ſuo nimium indulſit ſcriptor ille, alioqui digniſſimus qui legatur, & quantivis pretii, crebris eorumdem verborum repetitionibus utuntur: duarum ſyllabarum voces in fine pentametri diligenter collocant, polyſyllabis omnibus, tamquam horridioribus, rejectis: penthemi-

me-

merim, ſeu ſemiquinariam caeſuram, in hexametro ſervant: ſingulis diſtichis ſingulas ſententias comprehendunt: qui ſecus fecerit, hunc artis ignarum eſſe ajunt, magnoque in errore verſari affirmant: quod falſas denique, eaſdemque duriſſimas leges ſtudioſis adoleſcentibus imponunt, quas illi violare ſine ſummo ſcelere non poſſint. Ab his igitur, ſi ſibi conſtare velint, conſilium hoc noſtrum edendi tanto intervallo HIERONYMI FRACASTORII Poëmata, item JOANNIS COTTAE, JACOBI BONFADII, ADAMI FUMANI, NICOLAI ARCHII Carminum reliquias, improbari certe, fortaſſe etiam derideri, neceſse eſt. FRACASTORIUS etenim, dummodo Virgilianam illam gravitatem, heroicis carminibus ſcribendis, aſſequeretur, argutiores Poëtas, quos ipſi tantopere amant, omnino contemſit: reliqui vero, neſcio quo malo Genio inſtigante, ita Catullo aut Propertio addicti ſunt, ut Martialis & Ovidii ſcripta vix umquam attigiſſe videantur. Sed iſta omni oratione omiſſa, levibuſque hominibus valere juſſis, tibi, tuaeque fidei, erudite Lector, hos elegantiſſimos Muſarum alumnos cuſtodiendos tradimus: quos & multo emendatiores, quam antea, & pleniores invenies; nonnulla enim addidimus quum ex Gagnaeji, ac Taygeti Carminum Collectionibus, tum ex aliis etiam Libris; quae ſi legeris, te induſtriae noſtrae non poenitebit. Exiſtimavimus autem, Poëma illud ſacrum, quod FRACASTORIUS de JOSEPHO inchoaverat, quamvis longe poſitum infra SYPHILIDOS dignitatem, ceteris tamen egregii viri monumen-

numentis esse adjungendum: sunt enim, & quos magnorum Operum rudimenta delectent, & qui ad ea perficienda excitentur, quae alii aut curis gravioribus, aut infortunio impediti, tantummodo adumbrata reliquere. Ejusdem Poëtae rerum gestarum Narrationem, non illam quidem accuratissime scriptam, (sunt enim in ea nonnulla, quae vix intelligas) verum simplicem, & singularem, ne prorsus abjicere velis. nam ut meliorem de integro daremus, tantum otii non habuimus. Mirabitur fortasse quispiam, atque indigne feret, JACOBUM BONFADIUM, Veronensem a nobis appellatum, quum aliqui e Scriptoribus eum Brixianum fuisse malint. Nos plerisque fidem tribuere satius esse duximus; nec tamen, quid de hac re homines sentiant, multum laboramus. Tu interim, amice Lector, si quid ad juventutis studia promovenda labore nostro collatum esse censes, neque nos indignos putas, quorum conatibus faveatur, hilari fronte hunc Libellum excipe, daque operam sedulo, ne posteritas hanc bonarum literarum caussam, quae nobis tanto sumtui est, a te neglectam fuisse, aliquando conqueri possit.

HIE-

HIERONYMVS FRACASTORIVS
Alexander à Via sculp.
EX AENEA EFFIGIE
POSITA PATAVII
IN FORNICE
AD PONTEM
D. BENEDICTI.

HIERONYMI FRACASTORII

VITA,

INCERTO AUCTORE.

IERONYMUS FRACASTORIUS, Veronensis, Fracastoria per antiqua Veronae, atque ob id valde nobili Familia ortus, non antiquorum modo civium suorum Catulli, & C. Plinii gloriam aemulari, sed omnes prorsus nostrae, & superioris aetatis homines praestanti omnis doctrinae laude, & eximia in pangendis carminibus gloria, longo intervallo superare contendit. Is, Paulophilippo Fracastorio, & Camilla Mascarellia

Vicetina, ſummae probitatis parentibus ortus, atque a patre liberaliter educatus, ut primum per aetatem in luce hominum verſari coepit, tale de ſe ſpecimen apud omnes praebuit, ut jam tum ex eo adhuc puero, qui poſtea vir futurus eſſet, facile homines conjectarentur. quod immortalis DEI maturo quoque teſtimonio pridem fuerat confirmatum, quum pene infans, & vix cunis egreſſus, a matre quadam die in ulnis blande pertractatus, dum gravis forte tempeſtas repente coorta eſſet, ipſa fatali de caelo icta fulmine, incolumis ſervaretur. Patavium, ad capiendum animi cultum, adhuc adoleſcens, profectus, ingenti cura, atque indefeſſo labore, jam tum ad ſummum gloriae faſtigium generoſi ſpiritus indole ſibi iter aperuit, quum poſt bonarum literarum cognitionem, ad arcana cujuſque doctrinae, ſed Mathematicarum praecipue ſcientiarum infinita lectione, inuſitataque memoria ſibi eſſe penetrandum judicaſſet. Sed quum Philoſo-

phiae

phiae ſtudiis per multos annos operam dediſſet, Petro Pomponatio Mantuano praeceptore uſus, tanto animi ardore, atque alacritate, Genio ſuadente, ſe totum ad Medicinam convertit, tanta porro contentione in Gymnaſio per quotidianas Medicorum diſceptationes ſe ſe exercuit, ut doctores ipſi atque aequalis juventus, eum ad omnia natum eſſe divino quodam conſilio faterentur, illique maximos Suggeſtus honores tunc detulerint, quod Patavii ante illum nemini, niſi maturo in ſtudiis, & perfectae demum aetatis viro, contigerat. Studiorum ſocios, & ſodales habuit Patavii, illuſtriores quoſque ejus aetatis juvenes, Gaſparem Contarenum, qui poſtea Cardinalis fuit, Andream Naugerium, & Marcum Antonium Contarenum Patricii ordinis Venetos, eoſdem poſtea clariſſimis legationibus ac magiſtratibus inſignes, Joannem Jacobum Bardulonum Mantuanum, qui graviſſimus Philoſophus fuit, Pomponium ac Lucam Gauricos fratres Aſtronomiae peritiſſimos,

& Joannem Baptiſtam Rhamnuſium, qui poſtmodum X. Virum Conſilii Senatus Venetiarum a Secretis fuit, Graecarum literarum, ſed Coſmographiae praeſertim atque omnis fere Hiſtoriae peritiſſimum: ſed praeter ceteros, Marcum Antonium, Joannem Baptiſtam, & Rhaimundum Turrianos, nobiliſſimos fratres Veronenſes, praecipue coluit; quibuſcum quotidiano fere in convictu Patavii verſabatur, quum Hieronymus eorum pater exactae doctrinae, & auctoritatis vir, primum inter medicos in eodem Gymnaſio honeſtiſſimis conditionibus Suggeſtus locum obtineret. Sed, exorto demum bello, & everſo Patavino Gymnaſio, quum nunciata eſſet illi patris mors, & in patriam iter pararet, Livianus Venetarum copiarum Imperator, Muſarum liberalis hoſpes, & ingeniorum cenſor longe graviſſimus, honeſtiſſimis accitum conditionibus in Academiam Forojulienſem ad Portum Naonem inſtitutam, in Andreae Naugerii, & JOANNIS COTTAE praecel-

cellentium Poëtarum contubernium evocavit. Ubi quum aliquandiu versatus esset, carminumque, quae ab eo quotidie, ex nobili semper occasione summae dignitatis emanabant, auctoritate universae Italiae carus ac jucundus esse coepisset, illius scripta exinde publico semper excepta plausu, reliquorum ad hanc diem omnium famam oppresserunt. Sed quum pluribus bellis Livianum secutus esset, eo tum demum ex ipsa Gallorum ad Abduam victoria fuso ac capto, se in patriam sero contulit, quum omnia pene funditus eversa ac devastata direptionibus, & incendiis paterna bona exposita reperisset. Duxit uxorem vivo adhuc suadenteque patre, dum studiorum caussa Patavii moraretur, haud pari felicitate, quum non duorum modo, quos immature sibi ereptos nobili carmine acriter dolet, filiorum funeri interfuisset, nisi praeter Paulumphilippum (quem hodie Veronae praeclaro florentem ingenio admiramur) tertium quoque annis gra-

vem, & consilio maturum amisisset. Fuit FRACASTORIUS parva quidem, sed quadrata corporis statura, latis humeris, & barba decenter honestatus: nigra coma prolixaque: facie rotunda, subnigris oculis, naso, ab diutissime contemplandis stellis contracto, simoque. Ceterum totius oris aspectu, ingenium maxime vividum, miram probitatem sincerique animi candorem referente. Domum habuit Veronae, juxta D. Euphemiae: quamquam secessu Caphio, Melsineoque plurimum oblectaretur. de quo quidem Caphio monte, antequam sermo ulterius proferatur, pauca ideo dicenda esse videntur, ne locus, toto Veronensi agro hoc tam eximio cultore celeberrimus, quum is, ingenuo pudore detentus de eo pauca admodum scripserit, omnino ignoretur. Est Caphius mons, ad radices Baldi xv. millia passuum Verona distans, inter Athesim, & Benacum medius. ibi, quum paullulum ascenderis, villa in collis jugo, in media planitie ad conspectum Benaci

(non

(non eximiis illa quidem, ut reguli, ac beatioris fortunae homines, opibus ingenioque validiores ſupra civilis fortunae cenſum aedificarunt, picturis exornata, ſed uno tantum loci Genio, ac ſitus praerogativa admirabilis) reperitur. Quadrata domus eſt, ac liberiori undique, praeterquam ab Aquilone, caeli facie coronata: nam qua ab Oriente Atheſim ad radices montis ex intima Germania prope Baldum rapido curſu defluentem attingit, Veronam urbem & circumfuſas innumerabiles in ſubjecta planitie villas longiſſime proſpectat: atque in his, omnis generis armenta errantia, & fumantia ſub veſperam tecta intuetur. ab Occidente autem Benacum e converſo laetiſſima facies excipit: pari hercle occurrentium collium varietate mirabilior ac jucundior: quum vel altos interdum Benaci fluctus, & beatam Catulli peninſulam, ac veliferas item claſſes, & piſcantium naviculas longe advenientes perſpectare, tum diverſa oppida apricis promontoriis expoſita lubet

contemplari. hinc Bardolinum ſubjectum: hinc frequenti olea, & citriis colles coronatos: hinc demum nemoroſa & laeta virentibus paſcuis, naſcentium montium juga deſpectantur. noxios ventorum flatus ad meridiem paullulum exſtans ante domum cubitus eminentibus pomiferis arboribus jucundus, ac Baldus mons ad Aquilonem vergens, omnem hiemis duritiem procul expellit: ita tamen, ut & in media aeſtate quum ex alto Sol urget, obortis Eteſiis blandiſſime ventiletur, nec ardere in caelo Sirium ſentiat: & per hiemem, apricum fere ſemper Solem, & nebulae omnis expertem diem admittat. Benacus porro, qui maritimi litoris naturam aemulatus numquam gelaſcit, atque omnem hiemis duritiem ſuaviter frangit, frequenti nobilium troctarum, & carpionum piſcatione, non parum momenti ceteris quoque affert commodis. Hic illum interior domus aeſtivis hiberniſque cubiculis atque interioribus conclaviis, ubi amicos benigne atque

hila-

hilariter excipere consueverat, perquam commoda, quod magnopere Musis expetitur, strepitu vacua, atque alti plena silentii, omnibusque munditiis nitida, ad secretiora accedentem studia comiter accipiebat: quando editis aeternae famae carminibus, nobile illius caput sertis, & virenti per omnem Europam laurea coronaret. Vitae genus adamavit quietum, cunctis solutum curis & litibus, quum vir minime ambitiosus & parvo contentus, honestae ac jucundae vitae ad bonam semper frugem percupidus, unam tantum studiorum laudem spectaret: hilari ac frugi mensa, exactissima semper ad tuendam valetudinem ratione instructa: tam aperto, liberali, & perblando semper ingenio, ut quum summa esset morum temperie, facilitateque naturae, non eloquio, non cultu, fastum ullum ostenderet: numquam in alieni operis censura amarulentus aut parcus laudator esse consuevisset: ut etiam Joannis Baptistae Montani, medici clarissimi, illius vel aemuli,

vel,

vel, ut plures judicabant, in re medica principatum acriter affectantis, mortem nobili Epigrammate ſit proſecutus. Medicinam, ad quam perdiſcendam ſe totum ab adoleſcentia convertit, & in qua nominis celebritate primum inter illuſtres totius Europae medicos locum obtinebat, toto vitae tempore ita exercuit, ut in affectis corporibus ſanandis, in quibus illi mirifica quaedam & divina prorſus vis fuit, nullius quaeſtus potius quam officii rationem haberet. Et quoniam, hac vitae ratione multorum amicitiam ſuo ſibi beneficio comparaverat, inimicum vero merito habebat neminem, omnes non Venetiae tantum, atque illius orae, ſed externi etiam principes & reguli, ut de vel deſperata, vel dubia vitae re illum conſulerent, maximis ad ſe conditionibus accerſebant: a quibus ille diſcedens, ſalute eiſdem reſtituta, nullum prorſus pretium, praeter amicum animum in patriam referre umquam volebat. Delectabatur, quum in otio eſſet, antiquorum hiſtorias, & illu-

ſtria

ſtria clariſſimorum virorum facta perlegere; adeo ut Plutarchus, atque interdum Polybius ex manibus fere numquam exciderent. Mathematicis item ſcientiis, & praeſertim Muſicae, oblectandi animi cauſſa ſtudium adhibebat: ſed, ex mitioribus omnibus diſciplinis, in unam Coſmographiam incumbebat: quam tanto ſtudio quandoque colere conſueverat, ut gravioribus quandoque ſtudiis intermiſſis terrarum omnium ab Luſitanis primum in Oriente, mox a Columbo in Occidente noſtro ſeculo inventarum deſcriptiones & loca, ligneis orbibus ad amuſſim affabrefactis, altitudinum & latitudinum adhibitis dimenſionibus delinearet. Conſuetudo aſſidua illi erat multum cogitandi, plurima ſecum animo volvendi: neque enim vel deambulando tempus ullum labi fruſtra, vir numquam otioſus, patiebatur: ideoque & raro admodum, & niſi plurimis adhortationibus invitatus, loquebatur: triſtemque ac ſeverum homines exiſtimabant, quum illius ſermonibus

ad

ad hilaritatem ſaepius converſis, nihil laetius, nihil urbanius poſſet reperiri. Sed qui herbariae facultati ac ſimplicibus medicamentis ex antiquorum libris accurate perdiſcendis egregiam pridem operam navaverat, non obſcurae laudis compoſitionem atque adverſus peſtilentes febres mirae poteſtatis antidotum, quod *Diaſcordion* appellant, medentibus ſimul & pharmacopolis neceſſarium, ſuperioribus annis magna hercle noſtri ſeculi utilitate paravit; quum multis praeterea herbis ab antiquis pridem deſcriptis, ſed noſtro aevo incerta ſimilitudine perobſcuris, eruditam claritatem attulerit. Amicos habuit nobiles quoſque totius Europae, atque in omni doctrinae genere praeſtantes viros, ne ullum aut alterum eorum hoc loco commemorem, tam fauſto, felicique ſemper eventu, ut illum omnes, non ut ſummae doctrinae ac probitatis virum adamarent, ſed quaſi quoddam in terras delapſum Numen mirarentur. Sed graſſante demum in urbe peſtilentia, quum

pri-

primo quoque tempore in ſuos ſe Caphios tranſtuliſſet, & multum otii nactus eſſet, ſuperatis hercle omnibus, quicumque plurimos ab hinc annos floruiſſent, poëtis, SYPHILIDA Petro Bembo, LEONIS X. PONT. M. tunc a Secretis, dicatam, perenni atque eo prope aeterno carmine decantavit: tanta omnium admiratione, ut quum non multos poſt annos Neapolim ad Jacobum Sannazarium in lucem edita deferretur, vir ille omnium noſtrae & ſuperioris aetatis diſertiſſimus, & Virgilianae majeſtatis aſſectator egregius, atque alieni carminis laudator alioqui parcus atque amarulentus, Hippolyto Medici Cardinali, qui forte ad eum ſalutandum nobili eruditorum corona ſtipatus, atque adeo ipſo Montano acri aemulo, acceſſerat, hunc unum eſſe confeſſus ſit, a quo non Jovianus modo Pontanus, ſed ipſemet quoque in Partu Virginis accurata carminis dignitate, viginti amplius annorum lima ac labore perpoliti, eſſet victus. Ceterum in amicitiis alendis ac

con-

conſervandis (ut pauci ſolent) fuit HIERONYMUS in primis diligens ac circumſpectus. amabat omnes, omnium ſemper obſequiis, ac commodis erat intentus, ut, vel in media hieme a Chriſtophoro Cardinale Madrutio Principe Tridentino, qui FRACASTORIUM mirifice diligebat, valetudinis cauſſa accerſitus, Tridentum magnis itineribus, ſemel atque iterum per abruptas convalles, proficiſci non gravaretur. Eorum vero, quorum fidem benevolentiamque in ſe cognitam atque exploratam habebat, mutuis atque iis quidem fere ſemper majoribus obſequiis proſequeretur, &, non viventes ſolum, quod magnum eſt, coleret, ſed ſuam in vita functos etiam, quod praeſtantius eſt, benevolentiam, quantum in ſe eſſet, voluerit teſtatam relinquere. id quod ex poſtremis illius Scriptis facile patet, quibus Turrianorum Veronenſium nobiliſſimorum fratrum memoriam, quum eorum alterum in Dialogo de Intellectione acriter diſputantem, alterum in Dialogo de

Ani-

Anima multa differentem & acute percunctantem induceret, posteritati voluit commendare: Andreae porro Naugerii praealtam ingenii vim atque eloquentiam, & Joannis Jacobi Bardulonis Mantuani subtile ac valde acutum in omni philosophia ingenium, quum vel nulla, vel ea certe pauca ingenii sui monumenta reliquerint, suo de Poëtica Dialogo Joanni Baptistae Rhamnusio, tamquam veteri amico & sodali dedicato, apposite atque eleganter posteris manare definivit. Sed, quod ad FRACASTORII gloriam vel maxime pertinet, tanta, vir eximius nullius fastus appetens, & humilia haec atque terrena semper despiciens, non apud suos Veronenses, aut reliquas tantum Italiae civitates, sed in omni etiam Europa auctoritate fuit, ut ex innumerabili diversarum gentium & illustrium procerum multitudine, quae Pischeriam ad CAROLUM V. Caesarem ex Germania Mediolanum & Genuam proficiscentem, atque inde in Algerium expeditionem paran-

rantem viſendum convenerat, ipſe quoque, qui forte ſolemnis pompae die e proximis Caphiis cum jucundioribus amicis ſpectatum deſcenderat, ſolus demonſtrante illum palam Madrutio Principe Tridentino, greſſum Caeſaris aeſtivo in Sole ac pulvere huc illuc proſpectantis tenuerit. Sed poſtremo, quum Chriſtianae Reipublicae, quae totius orbis Tridenti generale pridem Concilium indixerat, ſuam non ſemel operam ac fidem praeſtitiſſet, in patriam eo ſe animo contulit, ut, abdicata prorſus omni antiquae Medicinae opera, quaeſtuque, quicumque ex ea, vel ampliſſimus poſſet provenire, Aeſculapio ſacra facturus, laeto animo ad Muſarum vireta contenderet. quo alacriore mente extremum poſtea vitae diem, qui exacte Chriſtianam ſemper pietatem coluiſſet, quum gravis quotidie aetas praecipitante jam canitie properaret, feliciter clauderet. Scripſit ſumma ingenii fertilitate nondum ſenex de Stellis, Aſtrologiae omnis peritiſſimus, in

Joan-

Joannis Matthaei Giberti Episcopi Veronensis, & gratissimi Maecenatis gratiam, Librum summae eruditionis PAULLO III. PONT. MAX. dicatum, in quo praeter alia multa, quae de Eccentricis orbibus atque Homocentricis differit, de duobus illis praecipue motibus a Joanne Baptista Turriano inventis agit, quorum ope quum aditus ad multa eorum, quae in natura abditissima sunt, pateat, tum via ad ea sine ulla obliquitate demonstranda aperitur, quae circa stellas apparent. Scripsit de Criticis item diebus alterum, contra Galenum. Scripsit graviori aetate, ac plane senex, de Sympathia & Antipathia rerum, & Contagionibus, & Contagiosis Morbis pari ingenii splendore Libros ad Alexandrum Farnesium Cardinalem, eumdem liberalissimum Maecenatem, atque inde praeclaram nominis famam latissime propagavit. novissime vero, dum duos Dialogos accurate & eleganter, de Poëtica unum, & de Intellectione alterum conscriptos in manibus

haberet, jam jam editurus, tertium de Anima, quem adversus insana non minus quam impia Pomponatii praeceptoris placita conscripserat, & Josephi historiam, quam heroico carmine fuerat aggressus, summo vate dignam, fatali morbo properante absolvere non potuit. Carmina quaedam ingenii ad majora tendentis praeludia, quae vivens publicari numquam voluit, magni tamen atque ingentis illius spiritus vim referentia exstant. Ex iis, ea praesertim, quibus Caesar Fregosius Palladis virenti olea coronatae caput, nobili gemma vel decenter caelatum, Margaritae Valesiae Navarrae Reginae, Francisci Gallorum Regis sorori, dono misit. Citriorum Epigrammata, & perennis famae Odae, tenera quadam ac praedulci ad Malsesenum suavitate decantatae, ac nusquam apud amicos repertae, ideo perierunt, quod eruditus vir, atque una tantum sciendi gloria contentus, omnem qui ex carminibus inani hercle si non ridenda antiquorum comparatione

pu-

publicatis provenit faſtum ita prorſus contemſit atque deſpexit, ut quod plerique alii ſumma ope nituntur, ne illorum quidem archetypum apud ſe in hunc uſum eſſe umquam pateretur. ut, haec etiam qualiacumque ſunt, quae nunc in lucem emiſſa leguntur, non exiguo labore ac cura ab amicis hinc inde collecta, prout diſperſa prius quaeque reperiebantur, in unum divinitus redacta ſint. Fato functus eſt ſeptuagenario major, octavo Idus Auguſti MDLIII. dum pranderet, apoplexia correptus in menſa, quum nimio aeſtu damnatos menſes, in ſuis Caphiis, urbe ſecedens, devitaret. eo quidem tranquilliore vitae exceſſu, quod Paullumphilippum filium tanti nominis haeredem relinqueret, cum bona etiam ſpe praeclarae poſteritatis, quando jam ex eo plures avitae indolis nepotes non ſemel aut iterum amplexus eſſet. Ferunt HIERONYMUM, dum langueret, cognito fatali morbo, poſt multas amicas ſibi herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas,

amiſſo penitus ſermonis uſu, manu ſaepius in verticem exporrecta, iis, qui aderant, innuere voluiſſe, ut celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro, quo ille peropportuno remedio ſe olim Veronae unam Monialium Virginum Divo Bernardino dicatarum curaſſe adhuc meminerat, ſubvenirent: ſed, re nequaquam a domeſticis intellecta, quum alii alia adhibenda tum eſſe remedia praedicarent, fruſtra exſpectato remedio, leniter ſub noctem exſpiraſſe. Illius oſſa Veronam paullo poſt in D. Euphemiae, honorificentiſſimo relata funere, ſunt condita: flebili id carmine hujus ſeculi celebrantibus omnibus Poëtis. Aenea illius & Andreae Naugerii effigies ſcite expreſſa Patavii in fornice portae juxta pontem D. Benedicti, a Patavina juventute atque univerſo Gymnaſio ſalutatur: quam Joannes Baptiſta Rhamnuſius, ſupremum amicitiae munus perſolvens, addita antiquorum Arae pervetuſta Dicatione ex ruinis Salonarum urbis Dalmatiae eruta, ad ſtudio-

dioſae poſteritatis ſolatium luculenter exornavit: ut doctiſſimorum hominum ſimulacra, qui arcta viventes inter ſe neceſſitudine conjuncti fuerant, a poſteris quoque in nobiliſſimo terrarum orbis Gymnaſio eodem in loco pariter ſpectarentur. Ceterum Veronenſes gratiſſimi cives, quod ad perenne FRACASTORII decus vehementer pertinet, ne a Rhamnuſio ejuſdem amico, pietate in tantum civem ſuperari paterentur, biennio poſtquam idem Rhamnuſius Patavii aeneam FRACASTORII imaginem collocaſſet, iidem communi conſenſu, uno omnium nobiliſſimo decreto, marmoream Veronae ſtatuam praeclara majorum ſuorum imitatione, qui Catulli Vatis, & C. Plinii, reliquorumque civium ſuorum memoriam marmoreis imaginibus honeſtare voluerunt, in publico cum laurea erigendam curarunt: quae hodie Veronae viſitur in veteri Arcu lapideo urbis, prope Comitium, in Area quae Dominorum appellatur: nec procul ab eodem

Catullo, ceterisque illustrioribus civibus Veronensibus, artificio Danesii Catanei Carrariensis ex Lunensi agro, praestantissimi hujus aetatis statuarii, non minus pia quam admiranda comparatione conspicitur. Quum autem variis elogiis ab amicis sepulcrum FRACASTORII Veronae ornaretur, ADAMI FUMANI carmen omnium consensu principem locum obtinuit.

EXEM-

EXEMPLUM EX ACTIS CONSILIORUM

Magnificae Communitatis Veronae.

Die Jovis post Nonam, XXI. Novembris, M. D. LV. In Camera Consilii, in Consilio Duodecim, & Quinquaginta, praesentibus Clarissimis Rectoribus, & Magnificis Dominis Camerariis, in vocibus Quinquaginta octo.

Pro erigenda Statua marmorea, Excellentissimo Domino HIERONYMO FRACASTORIO Poëtae Clarissimo felicis memoriae, posita fuit Pars infrascripta, Die XII. Instantis publicata, & nunc repetita, & capta de Ballotis XLV. Pro, & XIII. Contra. cujus tenor est, videlicet:

EA FUIT virtus, & diversarum scientiarum cognitio Excellentissimi Domini HIERONYMI FRACASTORII Civis nostri, ut inopinata ejus mors ingentis moeroris, & luctus caussam non solum nobis, & cunctis Italiae Civitatibus praebuerit, sed etiam multis barbaris nationibus, ad quas tanti viri fama pervenerat. Ille enim Philosophiae, & Medicinae peritia nostri temporis celeberrimos homines aequavit: Humaniorum vero literarum scientia, & in primis Poësi, sicuti multos ex veteribus, ita omnes, qui post annos mille quingentos aliquod in eo genere scriben-

di nomen habuere, ſuperavit. Teſtantur divinum illud SYPHILIDIS, ſive DE MORBO GALLICO, Poëma, Heroico carmine ſcriptum: atque item Libri duo, nuncupati JOSEPH, quos morte praeventus abſolvere non potuit, complureſque alii luſus Poëtici, qui nuperrime in lucem prodiere. Proinde quum patres noſtri eos etiam Cives ſuos, qui ante humani generis Redemtionem ſingulari quadam eruditione, ac ingenii ſplendore floruere, publicis monumentis, & imaginibus decorandos cenſuerint; NOS etiam, tantum Virum, Nobili genere ortum, tamque illuſtrem Poëtam, quem nos ipſi aluimus, & in patriae ſinu morientem vidimus, pari honoris, & gloriae titulo defraudare non debemus: Et ideo ad propoſitionem Spectabilis Domini Chriſtophori Fracaſtorii Proviſoris Communis,

VADIT Pars, poſita per Spectabiles Dominos Proviſores, & Conſilium Duodecim, quod majorum noſtrorum exemplo, qui Catullum, Plinium, & reliquos Cives ſuos, qui in diverſis ſcribendi facultatibus praeſtitere, ex veterum inſtituto marmoreis imaginibus honeſtare voluerunt, erigatur ipſius Domini HIERONYMI marmorea Statua, Poëtae habitum referens, redimitaque tempora Lauro, ſupra Arcum viae, Salae hujus Conſilii contiguae, juxta ordinem reliquarum conſtituenda.

Locus Sigilli.

Angelus Zavariſius Cancell. Communis.

SE-

SELECTA DOCTORUM VIRORUM DE HIERONYMO FRACASTORIO, EJUSQUE SCRIPTIS TESTIMONIA.

Joannis Pierii Valeriani in Hieroglyphicorum Librum L. Epistola ad Hieronymum Fracastorium.

QUAMVIS parva admodum inter nos consuetudo fuerit, eoque secessu Olivetano Veronensis agri, quo mihi per continuum triennium frui temporum eorum permisit quies, dum tu Veronae tuis, ego ibi meis tum studiis tum negotiis incumbebamus, vix ter facultas data, ut esse una possemus; neque antea te Patavii, quo me ad Philosophiae studia contuleram, videre licuerat, quod inde paullo ante discesseras, quam ego advenissem: tua tamen te virtus ita mihi ex eo tempore conciliaverat, ut quem ob summum ingenium, summamque doctrinam plus te uno diligerem, certe neminem haberem, omnium enim voce commendationeque politissimis literis, & liberalium omnium artium studiis florebas, clarusque & celebris habebare: unde meus erga te, quem adhuc ex facie non agnoscebam, coepit cultus, qui mox cum aetate accrevit simul, majoribus scilicet in dies ad virtutem profectumque tuum additis incrementis. Ab eo vero tempore quo bella illa calamitosissima, tam aspera, tam continua, me non modo ex tranquillo eo secessu exturbaverunt, verum tota etiam patria expulerunt, quamdiu foris profugus, errabundus, inops vixi, tui semper memor, atque sollicitus fui, quod vicem etiam tuam, & bonorum omnium ingemiscebam, & ubicumque locorum cives tuos, dispersos etiam ipsos com-

comperiſſem, nunc per Aligeros fratres Petrum & Ludovicum, nunc per Alithaeum, Zavariſium, Turrianos, nunc per alios amicos tuos, quos doctrinae nomine veneror, curabam ut meus erga te amor tibi fieret perſpectiſſimus: idque officii ab aliquibus ex his mihi non indiligenter praeſtitum confido. Sed quoniam vel his teſtibus tam locupletibus mihi nondum ſatisfaciebam, decrevi tandem quaqua ratione poſſem, aliquod hujuſmodi mei erga te animi ſignum manifeſtius exhibere. Igitur quum labores meos in Aegyptiorum Hieroglyphica explicanda recenſerem, pleraque id genus commentaria in amicos diſtribuerem, tuque non in poſtremis eſſes, plantas duas inſigniores elegi, *Palmam*, & *Laurum*, eaſque a noſtratibus longe diverſas, ex Aegyptiorum quippe locis a me primum in Italiam translatas, quas tibi dono mitterem. Palmam quidem, ob ſublime illud ingenium tuum, quod ad excelſa quaeque proſpero eventu ſe ſe attollere contendit, cujus evectus pennis toto primum caelo Epicyclos ſummoviſti, totque priorum Aſtrologorum machinas demolitus, facilem & permeabilem Planetis viam complanaſti. Laurum autem, quia tu, re optime in caelo geſta, ad infima mox terrae loca deſcendiſti, tamquam Hercules alter triumphabundus: ſed qui in ſuperiorem orbem, non ut ille, de viſceribus terrae Cerberum traxeris, qui aconitum ad mortalium perniciem evomeret, ſed ab Antipodibus SYPHILUM illam tuam admirandi vigoris plantam aſportares, quae morbis omnibus, tam cognitis, quam incognitis, praeſentanea remedia, & incolumitatem efficaciſſime conferret. Quod vero ad plantas attinet, ſpero eas a te benigne ſuſcipiendas, deque earum ſurculis amicitiae noſtrae firmitatem colligari poſſe, quam diuturnam perpetuamque fore mihi perſuadeo: quia meus erga te amor, cultus, & obſervantia, talia mihi pollicentur; tuque ut ameris ab omnibus, ingenii, doctrinaeque tuae monumenta, uno doctorum omnium ore celebrata depoſcunt: quorum quidem operum, ſtudiorumque tuorum omnium felicitatem agnoſcimus, & omnium poſteritati celebrem & illuſtrem fore plurimum & ex animo gratulamur.

Il Cardinal Pietro Bembo in una Lettera al FRACASTORO, che ſi legge nel Libro V. del Volume III.

Che ſe io ho da voi altra volta ricevuto il maggiore & piu illuſtre dono & il piu pretioſo & piu da me eſtimato & pregiato; che tutti gli altri doni, che io ho gia mai havuti da tutti

gli

gli altri huomini, insiememente non sono; Il Poema dico Latin vostro così chiaro & così raro: ec.

In un' altra che seguita immediatamente, allo stesso.

Mi rallegro con V. S. di questa così bella & honorata fatica vostra (*de Sympathia & Antipathia rerum*); la qual vedo sarà con gli altri bellissimi parti del vostro ingegno ad eterno honore del nome vostro. Et piacemi che non habbiate dimenticata la Poesia; perche siate invecchiato assai: si come l'ho dimenticata io: che non mi ricordo quasi piu d'haver mai fatto verso alcuno. ec.

M. Simon Fornari sopra quelle parole dell' Ariosto nella Stanza XV. dell'ultimo libro dell'Orlando:

Io veggo il FRACASTORO.

GIROLAMO FRACASTORO Veronese, medico, e poeta, e scrittor d'Astrologia in prosa, ma ne'versi a nostri tempi raro, ed incomparabile.

Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo I. de Poëtis suorum temporum.

Ejusdem est facultatis (*idest medicus*) HIERONYMUS FRACASTORIUS Veronensis, qui de MORBO GALLICO, ut vulgo dicimus, ipse a barbara voce SYPHILIDA vocat, Libellos tres, ad Petrum Bembum habet in manus, in quibus quum antiquos consectatur poëtas, tum praecipue Pontanum, quem celebrat, aemulatur, egregius certe in confingendis fabulis. apta illi carminis structura: in ea tamen quaedam praelicenter dicta, quae nostri instituti non sunt, ut colligam: leguntur & alia plura ejusdem FRACASTORII quae a doctis probantur.

Jovi-

Jovita Rapicius Libro V. de Numero Oratorio.

At enim, dicat aliquis, desuetudinem ipsam hujus rhythmi, & diuturnam apud multos rei hujus ignorantiam, desperationem afferre posse. At mehercule Pontani Urania, & Horti Hesperidum: FRACASTORII SYPHILIS, & Synceri de Virginis Partu libri, & pauca Andreae Naugerii, pauca item COTTAE poëmata facile declarant, non esse desperandum, quin intermissa, & diu desueta in consuetudinem revocari aliquando possint. quum enim poëmatum recte scribendorum ratio diu latuisset; & malos versificatores Latini plurimos, Poëtam nullum haberent, hi quasi de Caelo demissi sunt, qui desitae, & prope obsoletae artis observatione, pertinaci bonorum imitandorum studio, multaque, & jugi exercitatione tantum profecerunt, ut cum antiquis Poëtis conferri jure possint. itaque horum poëmata, ut primum perspecta sunt, quasi quaedam Phidiae signa, statim ab omnibus ita sunt probata, ut artem poëticam, quam prius quasi sopitam, ac jam prope exstinctam, lugebamus, eam nunc tantorum, & tam excellentium virorum ingenio, & arte suscitatam gaudeamus. &c.

M. Antonius Flaminius Paraphrasi in Duodecimum Aristotelis Librum de Prima Philosophia, pag. 45. Edit. Parisiensis.

Haec praefatus Aristoteles ad explicandas opiniones Eudoxi, & Callippi de numero Sphaerarum aggreditur, summam totius rei breviter exponens, quod earum rerum tractatio diligens ad Astrologiae potius, quam Primae Philosophiae munus spectare videatur: quamobrem nec nos quidem in iis explanandis quidquam commorati sumus, quum praesertim sciremus, HIERONYMUM FRACASTORIUM hanc partem eleganter, & enucleate interpretatum esse in suis Homocentricis, quem Librum ille hoc anno misit ad PAULLUM III. PONT. MAX. Etenim quum Hipparchus, & qui secuti sunt eum, naturalem Astrologiae cum Philosophia societatem diremissent, easque disciplinas interpositis nescio quibus circulis commenticiis & fictis ita distraxissent, ut nulla amplius ratione coire posse viderentur, exstitit aliquando Joannes Baptista Turrianus eximium seculi nostri decus, qui duarum gravissimarum artium dis-

dissensionem, ac dissidium molestissime ferret: itaque magnitudine fretus ingenii, & doctrinae, quibus rebus, ut ceteris omnibus virtutibus, mirabiliter florebat, instituerat eas reconciliare, atque ad pristinam revocare concordiam: jamque hujus pulcherrimi conatus praeclara fundamenta jecerat, quum subito ecce vis mortifera morbi hominem immortalitate dignum invasit, qua ille consumtus ad ea sidera migravit, quae dies ac noctes cogitatione peragrabat, Italiam sua clarissima luce orbatam, & gravissimo moerore confectam relinquens. Agendae sunt igitur immortales gratiae HIERONYMO FRACASTORIO, viro omni liberali doctrina politissimo atque perfecto, qui, quum a Turriano homine sibi amicissimo nonnulla semina ejus disputationis accepisset, ex iis pulcherrimos atque uberrimos foetus propagavit, edito Libro divino & plane caelesti, in quo eorum omnium, quae in cursibus stellarum admirabilia, & quasi contra rationem accidere videntur in caelo, tam luculente, tamque subtiliter caussas persecutus est omnes, ut ex iis locis venisse, non ut eas ipse reperisse videatur, ita omnia quasi ante oculos ponit, ita nihil usquam occurrit, quod cum physicis rationibus, & principiis, ac progressionibus naturae non mirabiliter consentiat. Itaque magni hujus viri admirabile ingenium, & excellentissima doctrina Astrologiae, Philosophiaeque disciplinas multa jam secula graves inimicitias inter se gerentes felicissime reconciliavit, easque tam arcto necessitudinis vinculo conglutinavit, ut nullius ingenii calliditas umquam futura sit tanta, quae possit amplius earum amicitiam dissociare. Quocirca si sententias Eudoxi, & Callippi. atque iis etiam longe meliora de numero globorum caelestium, deque disparibus eorum motionibus intelligere aveas, ostendimus tibi fontem, unde possis uberrimam omnium earum rerum haurire scientiam, & honestissimam sitim admirabili cum voluptate restinguere.

Bernardinus Parthenius de Poëtica Imitatione Libro II, inducens Triphonem Cabrielium cum Trissino, & Manutio loquentem, judiciumque de quibusdam sui aevi Poëtis ferentem.

De FRACASTORIO, ut de illo etiam quaeramus, quid, inquit Trissinus, statuemus? video enim nostrorum Poëtarum illum principem locum omnium consensu facile obtinere, altiusque quam ceteri evolare. Ornatissimus politissimusque is est, respon-

dit

dit Tripho: in fabulis fingendis excellit, natura ſublimis. Quod ut variis carminum generibus, atque argumentis probarit, nuſquam tamen dilucidius, ac planius quam in SYPHILI. Illo enim Poëmate tum ingenii ſui vim, ſcribendique judicium praeſefert, tum quantum imitatio, ac diligentia poſſit, non obſcure demonſtrat. Nihil illo, ut ſemel dicam, abſolutius. De reliquis hujus Poëtae ſcriptis aliis ſtatuendum relinquimus.

Idem pagina 26. Orationis pro Lingua Latina.

Sed praeter ceteros omnes, qui noſtra recordatione in hac facultate praeſtitere, primas FRACASTORIO deferamus, qui tam reconditum argumentum, tam in Poëtarum literis inauditum ea copia ac felicitate potuit tractare. divinum ingenium, quo auctore Medicina tantum ſit conſecuta. palam ille nihil eſſe in rebus humanis indicavit, quod in mentem hominum cogitationemque exiſtimetur venire, ne idem feliciſſime, ſi tentemus, dicendo adipiſcamur.

Onuphrius Panvinius Antiquitatum Veronenſium Libro VI.

Bonarum artium, & omnis doctrinae, urbiſque noſtrae ſplendidiſſimum lumen noſtro ſeculo fuit HIERONYMUS FRACASTORIUS, nobiliſſimus Civis, Philoſophus, Medicus, & Poëta omnium, qui poſt Caeſaris Auguſti tempora umquam toto terrarum orbe omnium conſenſu fuerint, procul dubio maximus. Hic multa elegantiſſime accuratiſſimeque conſcripſit, in quibus principem locum SYPHILIS, ideſt libri tres, quos de MORBO GALLICO heroicis verſibus ad Petrum Bembum divine edidit, tenent. Quibus nihil divinius aut elaboratius ne a Virgilio quidem ipſo fieri potuiſſe exiſtimo. Edidit praeterea Comoediam, cui titulus Joſeph.

Homocentrica, & de cauſſis Criticorum dierum per ea quae in nobis ſunt.

De Sympathia, & Antipathia lib. I.

De Contagione & contagioſis morbis, eorumque curatione Lib. III.

Alconem, ſive de cura canum venaticorum, carmine.

Obiit eximius vir ſuperioribus annis Veronae, repentino morbo, non ſine maxima literarum jactura, oppreſſus, cui ex S. C. ſtatua in foro cum reliquis illuſtribus Veronenſibus ere-

cta

cta est, ejus imagine ad vivum expressa cum hoc quod ego edidi Elogio:

HIER. FRACASTORIO

PAVLI. PHILIPPI. F

EX. PVBLICA. AVCTORITATE

ANNO. CIↃ DLIX

Q. Marius Corradus Libro XIII. de Lingua Latina.

Luserunt alia doctissimi viri, Pontanus, Castilio, Varchius, Jo. Baptista Arcucius, COTTA, Naugerius, FRACASTORIUS, Amaltheus, Marullus, Gambara, Fascitellus; quorum tamen scriptis non minus, quam Virgilii, Horatii, aliorumque veterum, posteritas omnis adjuvabitur.

Julius Caesar Scaliger Poëtices Libro VI. qui & Hypercriticus.

Ad HIERONYMUM FRACASTORIUM tandem aliquando deventum est: in quo quum nihil soleam desiderare, admirationi potius erit locus, quam castigationi. Quamquam ne superiores quidem Operae tamquam censoris accipiendae sunt, sed quasi vestigatoris. Hoc unum agimus, ut Poëta noster ad maxima quaeque se se accingat: quae si ego in aliorum animadversionibus non sum assequutus, at excitarim saltem nobiles animos ad expeditam illam perfectionem. Divinum igitur Poëma quum sit ejus SYPHILIS, quid agendum sit nobis, si ab sua ipse magnitudine discessisse credi potest aliquando? &c.

Joannes Matthaeus Toscanus Pepli Italiae Lib. III. pag. 73.

Nullum, qui FRACASTORIO Veronensi propius ad Maronis majestatem accesserit, Poëtam Italia umquam protulit. Medicum etiam eum ac Philosophum fuisse illustrem, una cum poëmatis publicata Opera declarant.

Ja-

Jacobus Augustus Thuanus ad annum 1553.

HIERONYMUS FRACASTORIUS ad exactam Philosophiae & Mathematicarum Artium, ac praecipue Astronomiae (quam & doctissimis scriptis illustravit) cognitionem, summum judicium & admirabile ingenium attulit: quo multa ab antiquis aut ignorata, aut secus accepta adinvenit, & explicavit. Et Medicinam, ut honestissime ac citra lucrum, ita felicissime fecit. Poëticam vero ita excoluit, ut ad Virgilianam Majestatem proxime accessisse eum faterentur aemuli: & in iis Jacobus Sannazarius, alioqui parcus & amarulentus alienae eruditionis laudator, qui, visa ejus SYPHILIDE, non solum Joannem Jovianum Pontanum, sed se quoque ipsum in Opere accurata xx. annorum lima perpolito victum exclamavit. Ei certe hujus seculi ingens miraculum Julius Caesar Scaliger, tamquam illarum quas dixi, Scientiarum & Poëtices summum fastigium consecuto, *Aras* erexit.

Thomas Bartholinus Dissertatione de Medicis Poëtis pag. 131.

HIERONYMUS FRACASTORIUS Veronensis caput inter Medicos extulit, & praeter alia cedro dignissima Scripta, de MORBO GALLICO, seu SYPHILIDE Libros tres, Petro Bembo inscriptos heroicis versibus concinnavit, qui cum veterum majestate certare valent. Vitam hujus vide apud Joannem Neandrum Syntag. de Med. Orig. pag. 164. Scripsit etiam de cura Canum Venaticorum heroico stylo, cujus titulus est Alcon.

TRE LETTERE DI M. PIETRO BEMBO *A M.* GIROLAMO FRACASTORO, *APPARTENENTI AL POEMA* DELLA SIFILIDE; che si leggono nel Libro V. del Volume III.

LETTERA PRIMA.

MOLTO volentieri ho ricevuto il vostro Poema datomi da M. Leonico insieme con le vostre lettere: & molto di buona voglia & con sommo piacer mio l'ho veduto. Et come che altra volta un' altro essempio di lui toltovi nascosamente mi venisse veduto due o tre anni sono: pure con quella avidità, che harei fatto, se mai veduto non l'havessi; o forse peraventura con piu, essendomi esso a quella volta piaciuto grandemente, & percio estimando si come piu emendato mi dovesse etiandio piu piacere quest' altra; io l'ho hora & letto & riletto piu fiate, & ciascuna piu volentieri in tanto; che non ho veduto, ne voluto vedere altro alquanti giorni. Per la qual cosa mi pare potervi dire sicuramente; che egli è di molto maggior prezzo, che voi nol fate nelle vostre lettere: Et che

a giudicio mio egli è così bella Operetta, & così poetica, & così da ogni sua parte ben condotta, & così cara; come altra, che a questo nostro secolo in luce venuta sia. Direi un poco piu oltra: se non fosse, che io ci ho per vostra gratia & per vostra somma cortesia troppa parte. Il primo libro ha molte cose belle anzi tutte & parmi che scriviate in verso cose tolte di mezzo la Philosophia molto poeticamente & molto piu gratiosamente, che non fa Lucretio molte delle sue. Et primieramente bellissima particella è quella, nella quale parlate a me, & tanto bene disposta & ornata; che io non saprei disiderar piu da Virgilio. Et certo, che io non dico piu, di quello, che io stimo. Vedete per questo, quanto è quello, che io vi debbo di tanto & si honorato & raro & caro dono. Nel quale tuttavia due altre volte vi ricordate di me nel secondo libro: con una delle quali chiudete & finite l'Opera. Bellissima m'è anchor paruta tutta quella parte, che incomincia, Quare age &c. *infino a quel verso,* Ergo si & nostra &c. *Ma del primo libro sopra tutto mirabile è la lamentatione, che fate nel fine, ben ricca & piena di quella copia & abondanza & vaghezza Virgiliana; che cotanto fa maravigliare, chiunque il legge: & in questa la morte di M. Marco Antonio, & ultimamente quelli cinque versi,* Illa tempestate: *che mi fan credere, che l'Anima di Virgilio ve gli habbia dettati. Il secondo libro veramente è tutto dall'un capo all'altro leggiadrissimo; & pieno di figure Virgiliane & di vaghezza infinita, forse in qualche parte per cagione della novità delle cose, che vi sono,*

& per

& per la varietà delle herbe & medicine, che vi si raccontano: nelle descrittioni delle quali di gran lunga superate la espettation mia, & credo supererete quella di ciascuno altro. In questo libro la favola del legno non potria esser meglio pensata, ne starci piu propriamente di quello, che ella vi sta, ne in piu atto luogo posta. Ora per sodisfare non solamente a voi, che di cio mi pregate; ma ancora a me stesso, per la parte, che havete voluto che io ci habbia; ho in questa leggiadrissima Operetta notate quelle cose, che harei fatto, se io stesso l' havessi composta, & con quello amore medesimo. Le quali saranno aggiunte con questa lettera; & haveranno insieme le correttioni, che io v' ho pensate sopra. Le quali non voglio che vagliano appo voi, se non in quanto possiate vedere a qual parte pieghi il mio o disiderio o giudicio. Voi poscia togliendo da me solo lo havervene avertito, rassetterete quanto vi parrà da rassettare, con miglior lima, che non è questa mia gia logora & inrugginita: & per niente non mi crediate piu che vi bisogni. D' alcune altre cose ho ragionato con M. Francesco della Torre: che fia il renditor di queste: a cui mi rimetto. Le gratie, che io v' ho a rendere io le riserbo a raccogliere in altro tempo. Hora state sano; & tenetemi tanto per vostro, quanto è interamente tutto quello, che io sono.

A XXVI. di Novembre MDXXV.
Di Padova.

LETTERA SECONDA.

RICEVUTA hieri la vostra lettera in risposta della mia sopra i due libri vostri: & veduta quella parte di lei, dove dite aver pensato di lasciar ne detti libri la favola dell'argento vivo, & giugnere un altro libro agli due; non mi sono potuto tenere di scrivervi da capo & pregarvi, che non vogliate entrare in questa fatica; la quale io non solamente stimo soverchia, ma oltre accio anchora dannosa. Percio che quando ben faceste che i libri fossero quattro, non che tre; io per me non vi concederei mai, che il fingere due favole in essi così da ogni loro parte nuove & da niuna antica pendenti fosse altro che non ben considerato abastanza. Dove quella del legno mi sodisfa & empie l'animo maravigliosamente. Senza che per essere il legno cosa nuova, ella vi sta piu propriamente; che non fa quella dello argento, che è cosa trita & ad ogniuno famigliare, come sapete. Che dove dite che Virgilio fa digressioni ne suoi poemi: vi rispondo, che ancho voi ne fate in questi libri tante, che è bene assai. Benche altro è digressione, & altro favola del tutto nuova. Anzi Virgilio stesso quando fa la favola d'Aristeo, non la finge tutta da se, ma la trahe & toglie dalle antiche. Di Pindaro non potete trar buono essempio; che è poeta Lirico & Ditirambico: il quale però in tutte le sue opere così diverse non ne finge di nuove, se non due. Del Pontano non parlo. Del quale se io havessi ad imitar cosa alcuna, vorrei imitar di lui le virtù,

tù, & non i vitii. Questo finger le favole in esso è così vitioso; che per questo non si puo leggere alcuno de suoi poemi senza stomacho. Oltra che la favola vostra dell' argento; quando ancho vi si concedesse che ella non fosse soverchia; per la infinita imitatione che essa ha di quella di Virgilio non mi piace per se in niun modo. Torno per tanto a dirvi che a me pare che vogliate pigliar fatica a danno vostro. Ne io saprei lodare, anchora se la favola non fosse in consideratione, cotesto vostro pensiero di farne tre libri; quando la qualità della materia del Poema è così compiutamente da ogni sua parte fornita in due; che tutto quello che vi si arroggerà, non potrà essere altro, che portare acqua alla fonte. Contentatevi M. GIROLAMO mio di quello, che fatto avete: che vi prometto che avete fatto assai. Et non vogliate essere voi di quelli pintori; che non sanno levar le mani dalle loro opere. I due libri sono pieni, sono abondevoli di modo; che niente pare che vi manchi, o disiderar vi si possa. Ne per tutto cio dalla favola dell' argento in fuori, v' è pure un verso non dico soverchio, ma solamente otioso. Se vi lascierete la favola, & oltre accio vi giugnerete altre cose; non potrete a giudicio mio porvi giamai tanta fatica & tanto studio; che non sia per parere a dotti & giudiciosi huomini, che habbiate voluto far troppo. In somma per nessuna conditione posso io impetrar da me il concedervi, che quella favola non meriti esser tolta di quei libri. Se io dico peraventura piu di quello, che a modesto amico si converrebbe; l' amore che io porto a quella Opera, & l' obligo

che

che io ve n' ho, mi fa così parlare. Ho sopratenuto questa lettera per parlarne prima con M. Leonico, & vederne il parer suo. Il quale è in tutto di questa medesima openione & giudicio: & così a nome suo anchora vi scrivo, quanto è scritto qui sopra. State sano.

A V. di Gennajo MDXXVI.

Di Padova.

LETTERA TERZA.

HO *RICEVUTO il bello & grande & singolar dono del vostro Poema Heroico del Mal Francese, Honorato M. GIROLAMO mio: il qual dono m' è piu caro stato; che veruno altro, che io habbia giamai per tutto 'l tempo della mia vita ricevuto o dal favore della fortuna, o dalla benivolenza de gli huomini. Hollo veduto & riveduto con tanto piacer mio; con quanto devea vedere & frutto del vostro ingegno & della vostra dottrina; & libri, che manderanno innanzi insieme col vostro la memoria del mio nome, a cui sono indirizzati, quanto la latina lingua durerà, con illustre & honoratissimo testimonio & del vostro di me giudicio, & dell' amore che mi portate: de quali due non saprei dire qual piu dolce & piu soave mi sia, o di cui far da me si debba maggiore stima. Vi renderei di cotanta vostra cortesia gratie: se io parole trovar potessi, che bastassero a cio fare convenevolmente. Percio che a pensar di rispondervi con alcun dono, & come si suol dir di rimunerarvi; io forza ne ardire non ho. Riserberò adunque & scriverò nel mio*

ani-

animo assai capace & a ricevere & a rispondere altrui con amore, tutto questo così alto & puro debito che io vi tengo: & pregherò il Cielo, che vi doni vita & prosperità convenevole alla vostra virtù. State sano.

A gli otto d'Ottobre MDXXX.
Di Padova.

IDEM BEMBUS

Historiae Venetae Libro III. pag. 97. Editionis Venetae novissimae. Ad annum M.CCCCXCVI.

JAmque in Urbe advenarum contagione, invectioneque siderum, morbus peratrox initium acceperat is, qui est GALLICUS appellatus: quo genitalibus ante omnia plerumque vitiatis, corpus doloribus afficiebatur, deinde pustulae maculaeque prodibant quum in membris reliquis, tum magnopere in capite facieque: ac saepe tumores, & tamquam tubera primum subdura, post etiam saniosa exoriebantur. itaque multi diu vexati membrorum prope omnium doloribus, deformatique tuberculis, & ulceribus, ut vix agnoscerentur, miserabiliter interibant. neque quorum medicamentorum pestilentia indigeret nova insolensque, sciri poterat. quamobrem annos complures omnibus in Reipublicae municipiis & finibus licenter pervagata, magnum hominum numerum absumsit, foedavit multo maximum. Sed quoniam eo de Morbo FRACASTORIANI Libri Tres heroicis versibus multa cum dignitate venustateque conscripti

vul-

vulgo in manibus habentur, nihil nos quidem attinet haec ſcribentes commorari, praeſertim quod ejus acerbitas & vis multo nunc jam remiſſior tolerabiliorque facta, vel inventis ad ea mala perfugiis opibuſque, vel caelo minus in dies ſaeviente, plane deferbuit.

HIE-

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS SYPHILIDIS, *SIVE DE* MORBO GALLICO LIBRI TRES, *AD* PETRUM BEMBUM.

HIERONYMI FRACASTORII SYPHILIDIS, *SIVE DE* MORBO GALLICO *AD PETRUM BEMBUM*, LIBER I.

QUI casus rerum varii, quae semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per secula visum
Attulerint: nostra qui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiae, Libyaeque per urbes
Saeviit: in Latium vero per tristia bella 5
Gallorum irrupit, nomenque a gente recepit:
Necnon & quae cura, & opis quid comperit usus,
Magnaque in angustis hominum solertia rebus,
Et monstrata Deûm auxilia, & data munera Caeli
Hinc canere, & longe secretas quaerere caussas 10
Aëra per liquidum, & vasti per sidera Olympi
Incipiam: dulci quando novitatis amore

Correptum, placidi Naturae ſuavibus horti
Floribus invitant, & amantes mira Camoenae.
BEMBE, decus clarum Auſoniae, ſi forte vacare 15
Conſultis LEO te a magnis paulliſper, & alta
Rerum mole ſinit, totum qua ſuſtinet orbem:
Et juvat ad dulces paullum ſecedere Muſas:
Ne noſtros contemne orſus, medicumque laborem,
Quidquid id eſt. Deus haec quondam dignatus Apollo eſt:
Et parvis quoque rebus ineſt ſua ſaepe voluptas.
Scilicet hac tenui rerum ſub imagine multum
Naturae, fatique ſubeſt, & grandis origo.
Tu mihi, quae rerum cauſſas, quae ſidera noſcis,
Et caeli effectus varios, atque aëris oras, 25
Uranie, (ſic dum puro ſpatiaris Olympo,
Metiriſque vagi lucentes aetheris ignes,
Concentu tibi divino cita ſidera plaudant)
Ipſa ades, & mecum placidas, Dea, lude per umbras,
Dum tenues aurae, dum myrtea ſilva canenti 30
Aſpirat, reſonatque cavis Benacus ab antris.
Dic, Dea, quae cauſſae nobis poſt ſecula tanta
Inſolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo noſtrum pervenit in orbem,
Ex quo lecta manus ſolvens de litore Ibero 35
Auſa fretum tentare, vagique incognita ponti eſt
Aequora, & orbe alio poſitas perquirere terras?
Illic namque ferunt aeterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, paſſimque vagari
Perpetuo caeli vitio, atque ignoſcere paucis. 40
Commercîne igitur cauſſa acceſſiſſe putandum eſt
Delatam contagem ad nos, quae parva ſub ipſis

Prin-

Principiis, mox & vires & pabula ſenſim
Suſcipiens, ſe ſe in terras diffuderit omnes?
Ut ſaepe in ſtipulas cecidit quum forte favilla 45
De face, neglectam paſtor quam liquit in arvo,
Illa quidem tenuis primum, ſimiliſque moranti
Incedit: mox, ut paullatim increvit eundo,
Tollitur, & victrix meſſem populatur & agros,
Vicinumque nemus, flammaſque ſub aethera jactat. 50
Dat ſonitum longe crepitans Jovis avia ſilva,
Et caelum late circum, campique relucent.
At vero, ſi rite fidem obſervata merentur,
Non ita cenſendum: nec certe credere par eſt
Eſſe peregrinam nobis, tranſque aequora vectam 55
Contagem: quoniam in primis oſtendere multos
Poſſumus, attactu qui nullius hanc tamen ipſam
Sponte ſua ſenſere luem, primique tulere.
Praeterea & tantum terrarum tempore parvo
Contages non una ſimul potuiſset obire. 60
Aſpice per Latii populos, quique herbida Sagrae
Paſcua, & Auſonios ſaltus, & Iapygis orae
Arva colunt: ſpecta, Tyberis qua labitur, & qua
Eridanus centum fluviis comitatus in aequor,
Centum urbes rigat, & placidis interfluit undis: 65
Uno nonne vides ut tempore peſtis in omnes
Saeviit? ut ſortem pariter tranſegimus unam?
Quinetiam externos eadem per tempora primum
Excepiſſe ferunt: nec eam cognovit Ibera
Gens prius, ignotum quae ſcindere puppibus aequor 70
Auſa fuit, quam quos diſterminat alta Pyrene,
Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenuſque bicornis:

Quam reliqui, quos lata tenet gelida ora ſub Arcto.
Tempore non alio, Poeni, ſenſiſtis, & omnes
Qui laetam Aegyptum metitis, foecundaque Nilo 75
Arva, & palmiferae ſilvas tondetis Idumes.
Quae quum ſic habeant ſe ſe, nempe altius iſti
Principium labi, rerumque latentior ordo,
(Ni fallor) graviorque ſubeſt, & major origo.
Principio quaeque in terris, quaeque aethere in alto
Atque mari in magno Natura educit in auras,
Cuncta quidem nec ſorte una, nec legibus iiſdem
Proveniunt, ſed enim, quorum primordia conſtant
E paucis, crebro ac paſſim pars magna creantur:
Rarius aſt alia apparent, & non niſi certis 85
Temporibuſve, lociſve, quibus violentior ortus,
Et longe ſita principia: ac nonnulla prius, quam
Erumpant tenebris & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, ſpatioſaque ſecula poſcunt.
Tanta vi coëunt genitalia ſemina in unum. 90
Ergo & morborum quoniam non omnibus una
Naſcendi eſt ratio, facilis pars maxima viſu eſt,
Et faciles ortus habet, & primordia praeſto.
Rarius emergunt alii, & poſt tempore longo
Difficiles cauſsas, & inextricabile fatum, 95
Et ſero potuere altas ſuperare tenebras.
Sic elephas ſacer Auſoniis incognitus oris,
Sic lichen latuere diu, quibus incola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc eſt dira lues, quae nuper in auras 100
Exiit, & tandem ſe ſe caligine ab atra
Exemit, duroſque ortus, & vincula rupit.

Quam

Quam tamen (aeternum quoniam dilabitur aevum)
Non ſemel in terris viſam, ſed ſaepe fuiſse
Ducendum eſt, quamquam nobis nec nomine nota 105
Hactenus illa fuit: quoniam longaeva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.
Oceano tamen in magno ſub Sole cadente,
Qua miſera inventum nuper gens accolit Orbem, 110
Paſſim oritur, nulliſque locis non cognita vulgo eſt.
Uſque adeo rerum cauſsae, atque exordia prima
Et caelo variare, & longo tempore poſsunt.
Quodque illic fert ſponte aër, & idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit aetas. 115
Cujus forte ſuo ſi cunctas ordine cauſsas
Noſse cupis, magni primum circumſpice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes.
Quumque animadvertas tam vaſtae ſemina labis
Eſse nec in terrae gremio, nec in aequore poſse, 120
Haud dubie tecum ſtatuas reputeſque, neceſse eſt,
Principium, ſedemque mali conſiſtere in ipſo
Aëre, qui terras circum diffunditur omnes,
Qui nobis ſe ſe inſinuat per corpora ubique,
Suetus & has generi viventum immittere peſtes. 125
Aër quippe pater rerum eſt, & originis auctor.
Idem ſaepe graves morbos mortalibus affert,
Multimode natus tabeſcere corpore molli,
Et facile affectus capere, atque inferre receptos.
Nunc vero, quonam ille modo contagia traxit, 130
Accipe: quid mutare queant labentia ſecla.
In primis tum Sol rutilus, tum ſidera cuncta

Tellurem, liquidaſque auras, atque aequora ponti
Immutant, agitantque: utque ipſo ſidera caelo
Mutavere vicem, & ſedes liquere priores, 135
Sic elementa modis variis ſe grandia vertunt.
Aſpice, ut, hibernus rapidos ubi flexit in Auſtrum
Phoebus equos, noſtrumque videt depreſſior orbem,
Bruma riget, duratque gelu, ſpargitque pruina
Tellurem, & gelida glacie vaga flumina ſiſtit. 140
Idem, ubi nos Cancro propior ſpectavit ab alto,
Urit agros, arent nemora, & ſitientia prata,
Siccaque pulvereis aeſtas ſqualleſcit in arvis.
Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor: 145
Quin & Saturni grave ſidus, & aequior orbi
Stella Jovis: quin pulchra Venuſque, & Martius ignis,
Ac reliqua aſtra etiam mutent elementa, trahantque
Perpetuum, & late magnos dent undique motus:
Praecipue ſedem ſi quando plurima in unam 150
Convenere, ſuo vel multum devia curſu
Longe alias tenuere vias. haec ſcilicet annis
Pluribus, & rapidi poſt multa volumina caeli
Eveniunt, Diis fata modis volventibus iſtis.
Ut vero eveniſse datum eſt, numerumque dieſque 155
Exegere ſuos, praefixaque tempora fatis,
Proh quanta aërios tractus, ſalſa aequora quanta,
Telluremque manent! alibi quippe omnia late
Cogentur ſpatia in nubes, caelum imbribus omne
Solvetur, ſummiſque voluti montibus amnes 160
Praecipites ſecum ſilvas, ſecum aſpera ſaxa,
Secum armenta trahent: medius pater impete magno

Aut

Aut Padus, aut Ganges ſuper & nemora alta, domoſque
Turbidus, aequabit pelago freta lata ſonante.
Aeſtates alibi magnae condentur, & ipſae 165
Flumina ſpeluncis flebunt arentia Nymphae.
Aut venti cuncta invertent, aut obice clauſi
Excutient tellurem imam, & cum turribus urbes.
Forſitan & tempus veniet, poſcentibus olim
Natura, fatiſque Deûm, quum non modo tellus 170
Nunc culta, aut obducta mari, aut deſerta jacebit,
Verum etiam Sol ipſe novum (quis credere poſſit?)
Curret iter, ſua nec per tempora diffluet annus.
Aſt inſueti aeſtus, inſuetaque frigora mundo
Inſurgent, & certa dies animalia terris 175
Monſtrabit nova, naſcentur pecudeſque feraeque
Sponte ſua, primaque animas ab origine ſument.
Forſitan & majora audens producere tellus
Coeumque, Enceladumque feret, magnumque Typhoëa,
Auſuros patrio Superos detrudere Caelo, 180
Convulſumque Oſsan nemoroſo imponere Olympo:
Quae quum perſpicias, nihil eſt, cur tempore certo
Admirere novis magnum marceſcere morbis
Aëra, contageſque novas viventibus aegris
Sidere ſub certo fieri, & per ſecula longa. 185
Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente, per omnes
Aurorae populos, per quae rigat aequora Ganges,
Inſolita exarſit febris, quae pectore anhelo
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu) 190
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Aſsyriae gentes, & Perſidos, & quae

Eu-

Euphratem, Tigrimque bibunt, poſt' tempore parvo
Corripuit, diteſque Arabas, mollemque Canopum:
Inde Phrygas, inde & miſerum trans aequora vecta 195
Infecit Latium, atque Europa ſaeviit omni.
Ergo age jam mecum, ſemper ſe ſe aethera circum
Volventem, Superûmque domos, ardentiaque aſtra
Contemplare, animumque agitans per cuncta, require,
Quis ſtatus illorum fuerit, quae ſigna dedere 200
Sidera, quid noſtris caelum portenderit annis:
Hinc etenim tibi forte novae contagis origo
Omnis, & eventus tanti via prima pateſcet.
Aſpice, candentes magni qua Cancer Olympi
Excubat ante fores, & brachia pandit aperta. 205
Hinc dirae facies, hinc ſe diverſa malorum
Oſtendent portenta: una hac ſub parte videbis
Magna coiſse ſimul radiis ardentibus aſtra,
Et conjuratas ſparſiſse per aëra flammas:
Flammas, quas longe tumulo Sirenis ab alto 210
Proſpiciens ſenior Vates, quem dia per omnes
Caelicolûmque domos duxit, docuitque futura
Uranie: miſeras, inquit, defendite terras,
O Superi; inſolitam video per inania ferri
Illuviem, & magnos caeli tabeſcere tractus. 215
Bella etiam Europae miſerae, bella impia, & agros
Auſoniae paſſim currentes ſanguine cerno.
Dixit, & illa etiam ſcriptis ventura notavit.
Mos Superûm eſt, ubi ſecla vagus Sol certa peregit,
Ab Jove decerni fata, & cuncta ordine pandi, 220
Quaecumque eventura manent terraſque, polumque.
Quod tempus quum jam noſtris venientibus annis

In-

Inſtaret, rerum ſummus ſator, & Superûm Rex
Jupiter acciri ſocios in rebus agendis
Saturnum, Martemque jubet: bipatentia Cancer 225
Limina portarum reſerat, Diiſque atria pandit.
Conveniunt, quibus eſt fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flammis ferroque coruſcans
Bellipotens Mavors, animis cui praelia & arma,
Vindictaeque manent, & ovantes ſanguine caedes. 230
Poſt placidus curru invectus rex Jupiter aureo
Inſequitur (ni fata obſtent) pater omnibus aequus.
Poſtremus, longaque via tardatus & annis
Falcifer accedit Senior, qui haud immemor irae
In Natum veteris, Nato & parere recuſans, 235
Saepe etiam ceſſit retro, & veſtigia torſit,
Multa minans, multumque animo indignatus iniquo.
Jupiter at ſolio ex alto, quo ſe ſolet uno
Tollere, percenſet fata, & ventura reſolvit,
Multum infelicis miſerans incommoda terrae, 240
Bellaque, fortunaſque virûm, caſuraque rerum
Imperia, & praedas, adapertaque limina morti:
In primis ignota novi contagia morbi:
Morbi, qui humanae nulla manſueſcat opis vi.
Aſsenſere Dei reliqui: concuſsus Olympus 245
Intremuit, tactuſque novis defluxibus aether.
Paullatim aërii tractus, & inania lata
Accepere luem, vacuaſque inſuetus in auras
Marcor iit, caelumque tulit contagia in omne.
Sive quod ardenti tot concurrentibus aſtris 250
Cum Sole, e pelago multos terraque vapores
Traxerit ignea vis, qui miſti tenuibus auris

Cor-

Correptique novo vitio, contagia visu
Perrara attulerint: aliud sive aethere ab alto
Demissum late aërias corruperit oras. 255
Quamquam animi haud fallor, quid agat, quove ordine caelum,
Dicere, & in cunctis certas perquirere caussas
Difficile esse: adeo interdum per tempora longa
Effectus trahit, interdum (quod fallere possit)
Miscentur fors, & varii per singula casus. 260
Nunc age non id te lateat, super omnia miram
Naturam, & longe variam contagibus esse.
Solis nam saepe arboribus fit noxius aër,
Et tenerum germen, florumque infecit honorem:
Interdum segetem, & sata laeta, annique labores 265
Corripuit, scabraque uffit rubigine culmos,
Et vitiata parens produxit semina tellus.
Interdum poenas animalia sola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipsis. memini ipse malignam
Luxuriem vidisse anni, multoque madentem 270
Autumnum perflatum Austro, quo protinus omne
Caprigenum pecus e cunctis animantibus unum
Corruit. a stabulis laetas ad pabula pastor
Ducebat: tum forte, alta securus in umbra
Dum caneret, tenuique gregem mulceret avena, 275
Ecce aliquam tussis subito irrequieta tenebat,
Nec longe via mortis erat: namque acta repente
Circum praecipiti lapsu, revomensque supremam
Ore animam, socias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum) atque aestate sequenti 280
Infirmas pecudes, balantumque horrida vulgus

Pestis

Peſtis febre mala miſerum pene abſtulit omne.
Uſque adeo varia affecti ſunt ſemina caeli,
Et variae rerum ſpecies, numeruſque viciſſim
Inter mota ſubeſt, interque moventia certus. 285
Nonne vides, quamvis oculi ſint pectore anhelo
Expoſiti molleſque magis, non attamen ipſos
Carpere tabem oculos, ſed ſe ſe immergere in imum
Pulmonem? & pomis quamquam ſit mollior uva,
Non tamen iis vitiatur, at ipſa livet ab uva. 290
Nempe alibi vires, alibi ſua pabula deſunt:
Aſt alibi mora certa, nec ipſa foramina multum
Non faciunt, hinc denſa nimis, nimis inde ſoluta.
Ergo contagum quoniam natura genuſque
Tam varium eſt, & multa modis ſunt ſemina miris, 295
Contemplator & hanc, cujus caeleſtis origo eſt:
Quae, ſicut deſueta, ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris, turbamque natantum,
Non volucres, non bruta altis errantia ſilvis,
Non armenta boum, pecudeſve, armentave equorum
Infecit, ſed mente vigens ex omnibus unum
Humanum genus, & noſtros eſt paſta ſub artus.
Porro homine e toto, quod in ipſo ſanguine craſſum
Et ſordens lentore foret, foediſſima primum
Corripuit, ſe ſe paſcens uligine pingui. 305
Tali ſe morbus ratione & ſanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, & ſigna docebo
Contagis miſerae: atque utinam concedere tantum
Muſa queat, tantumque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa evolvit, cui carmina curae, 310
Haec multas monumenta dies ut noſtra ſuperſint.

Forte

Forte etenim noſtros olim legiſſe nepotes,
Et ſigna, & faciem peſtis noviſſe juvabit.
Namque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atra ſopita jacebit 315
Interitu data: mox iterum poſt ſecula longa
Illa eadem exſurget, caelumque auraſque reviſet,
Atque iterum ventura illam mirabitur aetas.
In primis mirum illud erat, quod labe recepta,
Saepe tamen quater ipſa ſuum compleverat orbem 320
Luna prius, quam ſigna ſatis manifeſta darentur.
Scilicet extemplo non ſe ſe prodit aperte,
Ut ſemel eſt excepta intus, ſed tempore certo
Delitet, & ſenſim vires per pabula captat.
Interea tamen inſolito torpore gravati, 325
Sponteque languentes animis & munera obibant
Aegrius, & toto ſegnes ſe corpore agebant.
Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore
Dejectus color haud laeta de fronte cadebat.
Paullatim caries foedis enata pudendis 330
Hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifeſta magis vitii ſe prodere ſigna.
Nam, ſimulac purae fugiens lux alma diei
Ceſserat, & noctis triſtes induxerat umbras,
Innatuſque calor noctu petere intima ſuetus 335
Liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
Obſita mole pigra humorum, tum vellier artus,
Brachiaque, ſcapulaeque gravi, ſuraeque dolore.
Quippe, ubi per cunctas ierant contagia venas,
Humoreſque ipſos, & nutrimenta futura 340
Polluerant, Natura malum ſecernere ſueta

Infe-

Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius: verum crasso quia corpore tarda
Haec erat, & lentore tenax, multa inter eundum
Haerebat membris exsanguibus, atque lacertis. 345
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore, magisque erumpere nata,
Summa cutis pulsa, & membrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciemque horrendam, & pectora foede
Turpabant: species morbi nova: pustula summae
Glandis ad effigiem, & pituita marcida pingui:
Tempore quae multo non post adaperta dehiscens,
Mucosa multum sanie, taboque fluebat.
Quinetiam erodens alte, & se funditus abdens 355
Corpora pascebat misere: nam saepius ipsi
Carne sua exutos artus, squallentiaque ossa
Vidimus, & foedo rosa ora dehiscere hiatu,
Ora, atque exiles reddentia guttura voces.
Ut saepe aut cerasis, aut Phyllidis arbore tristi 360
Vidisti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum durescere gummi.
Haud secus hac sub labe solet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem concrescere callum.
Unde aliquis ver aetatis, pulchramque juventam 365
Suspirans, & membra oculis deformia torvis
Prospiciens, foedosque artus, turgentiaque ora,
Saepe Deos, saepe astra miser crudelia dixit.
Interea dulces somnos, noctisque soporem
Omnia per terras animalia fessa trahebant: 370
Illis nulla quies aderat, sopor omnis in auras

Fu-

Fugerat: iis oriens ingrata Aurora rubebat:
Iis inimica dies, inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
Munera: non dulces epulae, non copia rerum, 375
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas,
Quamvis saepe amnes nitidos, jucundaque Tempe,
Et placidas summis quaesissent montibus auras.
Diis etiam sparsaeque preces, incensaque templis
Tura, & divitibus decorata altaria donis: 380
Dii nullas audire preces, donisve moveri.
Ipse ego Caenomanûm memini qua pinguia dives
Pascua Sebina praeterfluit Ollius unda,
Vidisse insignem JUVENEM, quo clarior alter
Non fuit, Ausonia nec fortunatior omni: 385
Vix pubescentis florebat vere juventae,
Divitiis, proavisque potens, & corpore pulchro:
Cui studia aut pernicis equi compescere cursum,
Aut galeam induere, & pictis splendescere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare palaestra, 390
Venatuque feras agere, & praevertere cervos:
Illum omnes Ollîque Deae, Eridanique puellae
Optarunt, nemorumque Deae, rurisque puellae:
Omnes optatos suspiravere hymenaeos.
Forsan & ultores Superos neglecta vocavit 395
Non nequidquam aliqua, & votis pia Numina movit:
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Invasit miserum labes, qua saevior usquam
Nulla fuit, nulla umquam aliis spectabitur annis.
Paullatim ver id nitidum, flos ille juventae 400
Disperiit, vis illa animi: tum squallida tabes

Artus

Artus (horrendum) miſeros obduxit: & alte
Grandia turgebant foedis abſceſſibus oſſa.
Ulcera (proh Divûm pietatem) informia pulchros
Paſcebant oculos, & diae lucis amorem, 405
Paſcebantque acri corroſas vulnere nares.
Quo tandem infelix fato, poſt tempore parvo
Aetheris inviſas auras, lucemque reliquit.
Illum Alpes vicinae, illum vaga flumina flerunt:
Illum omnes Ollîque Deae, Eridanique puellae 410
Fleverunt, nemorumque Deae, ruriſque puellae:
Sebinuſque alto gemitum lacus edidit amne.
Ergo hanc per miſeras terras Saturnus agebat
Peſtem atrox, nec ſaeva minus crudelis & ipſe
Miſcebat Mavors, conjunctaque fata ferebat. 415
Quippe lue hac naſcente, putem ſimul omnia diras
Eumenidas ceciniſſe fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Exciviſſe lacus, Stygiaque ab ſede laborem,
Peſtemque, horribilemque famem, bellumque, necemque. 420
Dii patrii, quorum Auſonia eſt ſub numine, tuque
Tu Latii, Saturne, pater, quid gens tua tantum
Eſt merita? an quidquam ſupereſt dirique graviſque,
Quod ſit inexhauſtum nobis? ecquod genus uſquam
Averſum uſque adeo caelum tulit? ipſa labores, 425
Parthenope, dic prima tuos, dic funera regum,
Et ſpolia, & praedas, captivaque colla tuorum.
An ſtragem infandam memorem, ſparſumque cruorem
Gallorumque, Italûmque pari diſcrimine, quum jam
Sanguineum, & defuncta virûm, defunctaque equorum

Corpora volventem, cristasque atque arma trahentem
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoque spumantem, & nostrorum caede tumentem,
Abdua, non multo post tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix suscepit, & altum 435
Indoluit tecum, & fluvio solatus amico est.
Ausonia infelix, en quo discordia priscam
Virtutem, & mundi imperium perduxit avitum.
Angulus anne tui est aliquis, qui barbara non sit
Servitia, & praedas, & tristia funera passus? 440
Dicite vos, nullos soliti sentire tumultus,
Vitiferi colles, qua flumine pulcher amoeno
Erethenus fluit, & plenis lapsurus in aequor
Cornibus, Euganeis properat se jungere lymphis.
O patria, o longum felix, longumque quieta 445
Ante alias, patria o Divûm sanctissima tellus,
Dives opum, foecunda viris, laetissima campis
Uberibus, rapidoque Athesi, & Benacide lympha,
Aerumnas memorare tuas, summamque malorum
Quis queat? & dictis nostros aequare dolores, 450
Et turpes ignominias, & barbara jussa?
Abde caput, Benace, tuo & te conde sub amne,
Victrices nec jam Deus interlabere lauros.
En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lacrimae planctusve forent, en dura tot inter, 455
Spes Latii, spes & studiorum, & Palladis illa
Occidit: ereptum Musarum e dulcibus ulnis
Te miserum ante diem crudeli funere, MARCE
ANTONI, aetatis primo sub flore cadentem
Vidimus extrema positum Benacide ripa, 460

Quam

Quam media inter ſaxa ſonans Sarca abluit unda.
Te ripae flevere Atheſis, te voce vocare
Auditae per noctem umbrae maneſque Catulli,
Et patrios mulcere nova dulcedine lucos.
Tempeſtate illa Auſoniam Rex Gallus opimam 460
Vertebat bello, & Ligurem ditione premebat.
Parte alia, Caeſar ferro ſuperabat & igni
Euganeos, placidumque Silim, Carnumque rebellem:
Et totum luctus Latium, moerorque tenebat.

HIERONYMI FRACASTORII SYPHILIDIS, SIVE DE MORBO GALLICO AD PETRUM BEMBUM,

LIBER II.

NUNC age, quae vitae ratio, quae cura adhibenda
Perniciem adversus tantam, quid tempore quoque
Conveniat (nostri quae pars est altera coepti)
Expediam, & miranda hominum comperta docebo.
Quippe nova quum re attoniti, multa irrita primum
Tentassent, tamen angustis solertia major
In rebus, crescensque usu experientia longo
Evicere: datumque homini protendere longe
Auxilia, & certis pestem compescere vinclis,
Victorem & se se claras attollere in auras.
Credo equidem & quaedam nobis divinitus esse
Inventa, ignaros fatis ducentibus ipsis.

Nam, quamquam fera tempeſtas, & iniqua fuerunt
Sidera, non tamen omnino praeſentia Divûm
Abſuit a nobis, placidi & clementia caeli. 15
Si morbum inſolitum, ſi dura & triſtia bella
Vidimus, & ſparſos dominorum caede penates,
Oppidaque, incenſaſque urbes, ſubverſaque regna,
Et templa, & raptis temerata altaria ſacris:
Flumina dejectas ſi perrumpentia ripas 20
Evertere ſata, & mediis nemora eruta in undis,
Et pecora, & domini, correptaque rura natarunt:
Obſeditque inimica ipſas penuria terras:
Haec eadem tamen, haec aetas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit ſulcare carinis 25
Id pelagi, immenſum quod circuit Amphitrite.
Nec viſum ſatis, extremo ex Atlante repoſtos
Heſperidum penetrare ſinus, Praſlumque ſub Arcto
Inſpectare alia, praeruptaque litora Rhapti,
Atque Arabo advehere, & Carmano ex aequore merces:
Aurorae ſed itum in populos Titanidis uſque eſt
Supra Indum, Gangemque ſupra, qua terminus olim
Catygare noti Orbis erat: ſuperata Cyambe,
Et dites ebeno, & felices macere ſilvae.
Denique & a noſtro diverſum gentibus Orbem, 35
Diverſum caelo, & clarum majoribus aſtris
Remigio audaci attigimus, ducentibus & Diis.
Vidimus & Vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope, placiduſque cavo Sebethus ab antro
Plauſerunt, umbraeque ſacri maneſque Maronis; 40
Qui magnos ſtellarum orbes cantavit, & hortos
Heſperidum, caelique omnes variabilis oras.

Te

Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura
Poſt mutos cineres, quos & venientia ſecla
Antiquis conferre volent, at, BEMBE, tacendus 45
Inter dona Deûm nobis data non erit umquam
Magnanimus LEO, quo Latium, quo maxima Roma
Attollit caput alta, paterque ex aggere Tybris
Aſſurgit, Romaeque fremens gratatur ovanti.
Cujus ab auſpiciis jam nunc mala ſidera mundo 50
Ceſſere, & laeto regnat jam Jupiter orbe,
Puraque pacatum diffundit lumina caelum.
Unus, qui aerumnas poſt tot, longoſque labores
Dulcia jam profugas revocavit ad otia Muſas,
Et leges Latio antiquas, rectumque piumque 55
Reſtituit: qui juſta animo jam concipit arma
Pro re Romana, pro religione Deorum.
Unde etiam Euphrates, etiam late oſtia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit unda refuſi,
Atque Aegaea ſuos confugit Doris in Iſthmos. 60
Ergo, alii dum tanta canent, dumque illius acta
Inclyta component, dum forte accingeris & tu
Condere, & aeternis victurum intexere chartis,
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, luſus
Inceptos, quantum tenuis fert Muſa, ſequamur. 65
Principio, quoniam affecti non ſanguinis una
Eſt ratio, tibi ſit morbo ſpes major in illo,
Sanguine qui inſedit puro: verum, quibus atra
Bile tument, ſpiſsoque reſultant ſanguine venae,
Major in iis labor eſt, peſtiſque tenacius haeret. 70
Quare operae pretium eſt validis atque acribus uti
Omnibus hos contra, miſeris nec parcere membris.

Quinetiam meliora ſibi promittere cuncta
Ille poteſt, qui principiis noviſse ſub ipſis
Serpentem tacite valuit per viſcera labem. 75
Namque, ubi paſta diu, vires per pabula longa
Auxerit, & jam ſe vitium firmaverit intra,
Heu quanto tibi libertas ſperanda labore eſt!
Ergo omnem impendes operam te opponere parvis
Principiis, memorique animo haec praecepta reconde.
In primis ego non omni te aſsueſcere caelo
Exhorter: fuge, perpetuo quod flatur ab Auſtro,
Quod caeno, immundaeque grave eſt ſudore paludis.
Protenti potius campi mihi liber & agri
Tractus, & apricis placeant in collibus aurae, 85
Et molles Zephyri, pulſuſque Aquilonibus aër.
Hic (jubeo) tibi nulla quies, nulla otia ſunto.
Rumpe moras, agita aſſiduis venatibus apros
Impiger, aſſiduis agita venatibus urſos.
Nec tibi ſit labor aërii curſu ardua montis 90
Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum,
Et longa luſtrare altos indagine ſaltus.
Vidi ego ſaepe, malum qui jam ſudoribus omne
Finiſset, ſilviſque luem liquiſset in altis.
Sed nec turpe puta dextram ſummittere aratro, 95
Et longum trahere incurvo ſub vomere ſulcum:
Neve bidente ſolum, & duras proſcindere glebas,
Et valida aëriam quercum exturbare bipenni,
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quinetiam, exercere domi quo te quoque poſſis, 100
Parvam mane pilam verſa mihi, veſpere verſa.
Et ſaltu, & dura potes exſudare palaeſtra.

Vin-

Vince malum: nec te fallat, quod desidis otii
Assidue desiderium, lectique sequetur.
Tu lecto ne crede, gravi ne crede sopori: 105
His alitur vitium, & placidae sub imagine pacis
Decipit, e dulcique trahit fomenta quiete.
Necnon interea effugito, quae tristia mentem
Sollicitant: procul esse jube curasque, metumque
Pallentem, ultricesque iras, omnemque Minervae 110
Addictum studiis animum: sed carmina, sed te
Delectent juvenumque chori, mixtaeque puellae.
Parce tamen Veneri, mollesque ante omnia vita
Concubitus; nihil est nocuum magis: odit & ipsa
Pulchra Venus, tenerae contagem odere puellae. 115
Quod sequitur, victus ratio tibi maxima habenda est;
Nec sit cura tibi, neve observantia major.
Principio, quoscumque amnes, quoscumque paludes,
Quosque lacus liquidi pascunt, quosque aequora, pisces,
Omne genus procul amoveo. sunt, quos tamen usus 120
Liberius, quum res cogit, concedere possit.
Omnibus his est alba caro, non dura, tenaxque,
Quos petrae, & fluviorum adversa marisque fatigant:
Tales nant pelago phycides, rutilaeque per undas
Auratae, gobiique, & amantes saxea percae. 125
Talis dulcifluûm fluviorum scarus ad ora
Solus saxa inter depastas ruminat herbas.
Sed neque, quae stagnis volucres, quaeque amnibus altis
Degere amant, liquidisque cibum perquirere in undis,
Laudarim: tibi pinguis anas, tibi crudior anser 130
Vitetur, potiusque vigil Capitolia servet:
Viteturque gravi coturnix tarda sagina.

Tu

Tu teneros lactes, tu pandae abdomina porcae,
Porcae heu terga fuge, & lumbis ne vescere aprinis,
Venatu quamvis toties confeceris apros. 135
Quin neque te crudus cucumis, non tubera captent,
Neve famem cinara, bulbisve salacibus exple.
Non placeat mihi lactis amor, non usus aceti,
Non fumosa mero spumantia pocula Baccho,
Qualia Cyrnaei colles, campique Falerni, 140
Et Pucinus ager mittunt: aut qualia nostris
Rhetica dat parvo de collibus uva racemo.
Nempe Sabina magis placeant, dilutaque tellus
Quae tulit, & multo domuerunt Najades amne.
At, tibi si ex horto victus, mensaeque Deorum 145
Sunt animo, atque olerum simplex & inemta voluptas,
Non mentae virides, non laeta sisymbria desunt,
Intybaque, & toto florentes frigore sonchi,
Et sia fontanis semper gaudentia rivis,
Et thymbrae suaves, & odoriferae calaminthae: 150
Laeta meliphylla, & riguo buglossus ab horto
Carpantur, plenisque ferax erucula palmis,
Atque olus, atque rumex, & salsi gramina chrithmi.
Ipsa lupum dumeta ferent: hinc collige primos
Asparagos, albae asparagos hinc collige vitis, 155
Quum nondum explicuit ramos, umbracula nondum
Texuit, & virides jussit pendere corymbos.
Singula sed longum est, nec percensere necesse,
Jamque aliud vocor ad munus; juvat in nova Musas
Naturae nemora Aoniis deducere ab umbris: 160
Unde mihi si non e lauro intexere fronti
Serta volent, tantaque caput cinxisse corona,

At

At ſaltem ob ſervata hominum tot millia, dignum
Cenſuerint querna redimiri tempora fronde.
Vere novo, ſi quem morbus tenet, aut & in ipſo 165
Autumno, ſi firma aetas, ſi ſanguis abundat,
Regalem, mediamve lacerti incidere venam
Proderit, atque extra foedatum haurire cruorem.
Praeterea, quocumque habeat te tempore peſtis,
Corruptum humorem, & contagem educere turpem
Ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo.
Ante tamen ducenda para, concreta reſolve,
Et craſſa attenua, & lentore tenacia frange.
Ergo Coryciumque thymum ſit cura, thymumque
Pamphylium, thymbrae ſimilis qui durior exit, 175
Prima tibi coxiſse, lupique volubile gramen,
Foeniculumque, apiumque, & amari germina capni.
His polyporum hirtos imitata filicula cirros
Additur, & lymphis tangi renuens adiantus:
His ſterile aſplenum, his pictam phyllitida junge. 180
Quorum ubi decoctum permultis ante diebus
Ebiberis, crudumque humorem incoxeris omnem,
Tum ſcilla medicare acri, & colocynthide amara,
Helleboroque gravi, necnon quae in litore ſurgens,
Qua ludit maris unda, ter evariata colorem, 185
Ter flores mutata die, rem nomine ſignat,
Herba potens radice, ſuum cui zinziber adde:
Adde etiam anguineum cucumin, Nabathaeaque tura,
Myrrhamque, bdelamque, hammoniacique liquorem,
Et lacrimam panaceam, & dulci Colchica bulbo. 190
His actis, ſi forte tibi frigentia corda,
Et molles animi fuerint, nec acerba placebit

In primis tentare, brevique exſtinguere peſtem,
Sed placidis agere, & per tempora lenibus uti,
Tum ſupereſt tibi cura animum ad fomenta relicta 195
Vertere, contagiſque ad tenuïa ſemina caecae,
Illa quidem conſueta modis inſerpere miris.
Profuerint igitur, quaeque exſiccantia, quaeque
Marcori reſinoſa ſolent obſiſtere putri.
Tales ſunt myrrhae lacrimae, ſunt talia tura, 200
Cedruſque, aſpalathuſque, immortaliſque cupreſsus,
Et bene cum calamo ſpirans redolente cyperus.
Ergo nec deſint caſiae, nec deſit amomum,
Macerve, agallochumve tibi, nec cinnama odora.
Eſt etiam in pratis illud, juxtaque paludes 205
Scordion, omnigenis quod tantum obſtare venenis,
Contagique ſolet, parvo quaerenda labore
Herba tibi: viret ipſa comis imitata chamaedrym,
Flore rubens, referenſque allî cum voce ſaporem.
Aurora naſcente hujus frondemque comantem 210
Radiceſque coque, atque hauſtu te prolue largo.
Sed neque carminibus neglecta ſilebere noſtris,
Heſperidum decus, & Medarum gloria, citre,
Silvarum: ſi forte ſacris cantata Poëtis
Parte quoque hac medicam non dedignabere Muſam.
Sic tibi ſit ſemper viridis coma, ſemper opaca,
Semper flore novo redolens: ſis ſemper onuſta
Per viridem pomis ſilvam pendentibus aureis.
Ergo, ubi nitendum eſt caecis te opponere morbi
Seminibus, vi mira arbor Cithereïa praeſtat. 220
Quippe illam Citherea, ſuum dum plorat Adonim,
Munere donavit multo, & virtutibus auxit.

Quo-

Quorumdam inventum eſt, vitrei intra concava vaſis,
Cui collum oblongum eſt, venter turgeſcit in orbem,
Aut hederae folia, aut Ida mittente maniplos 225
Dictamni, Illyricamve irim, rhamnive nigrantem
Radicem, aut inulas coquere: in ſublime ſolutus
Effertur vapor, & tenuis vacua omnia complet.
Aſt, ubi frigenti occurſavit ab aëre vitro,
Cogitur, & rorem liquidus denſatur in udum, 230
Decurritque vagis per aperta canalia rivis.
Deſtillantis aquae cyathum ſub lumina prima
Luciferi potare jubent, ſtratiſque parare
Sudorem, nec certe ab re: vis utilis olli eſt,
Relliquias morbi tenues diſpergere in auras. 235
Interea, ſi membra dolor convulſa malignus
Torqueat, oeſypo propera lenire dolorem,
Maſtichinoque oleo: lentum quibus anſeris unguen,
Emulſumque potes lini de ſemine mucum,
Narciſsumque, inulamque, liquentiaque addere mella,
Coryciumque crocum, & vilem componere amurcam.
At, fauces atque ora malus ſi eroſerit herpes,
Tange nitro, & viridi medicata aerugine lympha
Semina inure mala, & ſerpentem interfice peſtem.
Verum ipſos ope non alia conſumere achores, 245
Urentum quam vi, poteris, quibus addere debes
Pingue aliquid, quod ſecum intus ſiccantia portet.
Haec eadem, & miſeros artus ſi qua ulcera paſcunt,
Tollere, concretoſque valebunt ſolvere callos.
Si vero aut haec nequidquam tentaſse videbis, 250
Aut vires animique valent ad fortia quaeque,
Nec differre cupis, quin te committere acerbis

Feſti-

Festines, diramque brevi consumere pestem;
Hinc alia inventa expediam, quae tristia quanto
Sunt magis, hoc tanto citius finire labores, 255
Aerumnasque mali poterunt: quippe effera labes
Inter prima tenax, & multo fomite vivax
Nedum se haud vinci placidis & mitibus, at nec
Tractari sinit, & mansuescere dura repugnat.
Sunt igitur styracem in primis qui, cinnabarimque, 260
Et minium, & stymmi agglomerant, & tura minuta,
Quorum suffitu pertingunt corpus acerbo,
Absumuntque luem miseram, & contagia dira.
At vero & partim durum est medicamen & acre,
Partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipsis 265
Spiritus, eluctansque animam vix continet aegram.
Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti
Judice me: certis fortasse erit utile membris,
Quae papulae informes, Chironiaque ulcera pascunt.
Argento melius persolvunt omnia vivo 270
Pars major: miranda etenim vis insita in illo est:
Sive quod id natum est subito frigusque caloremque
Excipere, unde in se nostrum cito contrahit ignem,
Quodque est condensum, humores dissolvit, agitque
Fortius, ut candens ferrum flamma acrius urit: 275
Sive acres, unde id constat compagine mira,
Particulae nexuque suo vinclisque solutae
Introrsum, ut potuere seorsum in corpora ferri,
Colliquant concreta, & semina pestis inurunt:
Sive aliam vim fata illi, & Natura dedere. 280
Cujus & inventum medicamen munere Divûm
Digressus referam. quis enim admiranda Deorum
Mu-

Munera praetereat? Syriae nam forte ſub altis
Vallibus, umbroſi nemora inter glauca ſalicti,
Callirhoë qua fonte ſonans decurrit amoeno, 285
Fama eſt cultorem Diis ſacri agreſtibus horti,
Cultorem nemorum, ſectatoremque ferarum,
Ilcea labe gravem tanta, dum molle cyperum,
Et caſiam, & ſilvam late fragrantis amomi
Irrigat, haec oraſse Deos, & talia fatum: 290
Dii, quos ipſe diu colui, tuque optima triſtes,
Callirhoë, quae ſancta ſoles depellere morbos,
Cui nuper ramoſa ferens ego cornua cervi
Aëria victor fixi capita horrida quercu:
Dii, mihi crudelem miſero ſi tollere peſtem 295
Hanc dabitis, quae me afflictat noctesque dieſque,
Ipſe ego purpureas, ipſe albas veris & horti
Primitias, vobis violas, ego lilia vobis
Alba legam, primaſque roſas, primoſque hyacinthos,
Veſtraque odoratis onerabo altaria ſertis. 300
Gramen erat juxta viridans. Sic fatus, ut aeſtu
Feſsus erat, viridi deſedit graminis herba.
Hic Dea, vicino quae ſe ſe fonte lavabat,
Callirhoë liquido ex antro per lubrica muſco
Saxa fluens, juveni dulci blandita ſuſurro, 305
Lethaeum immiſit ſomnum, ſparſitque ſopore
Graminea in ripa, & ſalicum nemus inter opacum:
Atque illi viſa eſt ſacro ſe flumine tollens
In ſomnis coram eſse, pia & ſic voce locuta:
Ilceu, in extremo Diis tandem audite labore, 310
Cura mei, tibi nulla ſalus, quacumque videt Sol,
Speranda eſt terram magnam ſuper. hoc tibi poenae

Dat

Dat Trivia, & precibus Triviae exoratus Apollo;
Ob ſacrum jaculo percuſsum ad flumina cervum,
Et noſtris affixa tibi capita horrida truncis. 315
Nam, poſtquam illa feram exanimem per gramina vidit
Abſciſso capite, & ſacro ſparſa arva cruore,
Omnibus ingemuit ſilvis, dirumque precata eſt
Auctori. oranti Latous tanta Sorori
Affuit, & peſtem miſero immiſere nefandam 320
Durus uterque tibi: quin & quacumque videt Sol,
Interdixit opem: quare tellure ſub ima,
Si qua ſalus ſupereſt, caeca ſub nocte petenda eſt.
Eſt ſpecus arboribus tectum, atque horrore verendum
Vicina ſub rupe, Jovis qua plurima ſilva 325
Accubat, & raucum reddit coma cedria murmur.
Huc, ubi ſe primis Aurora emittet ab undis,
Ire para, & nigrantem ipſis in faucibus agnam
Mactato ſupplex, atque, Ops tibi maxima, dic, hanc,
Dic, ferio. nigram tum Noctem, umbraſque ſilentes,
Umbrarumque Deos, ignotaque numina Nymphas
Et thya venerare, atrae & nidore cupreſſi.
Hic tibi narranti cauſsam, auxiliumque vocanti
Haud aberit Dea, quae caecae in penetralia terrae
Deducat te ſancta, & opem tibi ſedula praeſtet. 335
Surge age, nec vani ſpeciem tibi concipe ſomni.
Illa ego ſum, quae culta vago per pinguia fonte
Dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab undis.
Sic ait, & ſe caeruleo cita condidit amne.
Ille autem, ut placidus ceſſit ſopor, omina laetus 340
Accipit, & Nympham precibus veneratur amicam.
O ſequor, o quocumque vocas, pulcherrima fontis
Vicini

Vicini Dea, Callirhoë. Tum poſtera primum
Exſurgens Aurora, ſuos ubi protulit ortus,
Monſtratum Jovis in ſilva ſub rupibus altis 345
Antrum ingens petit, & nigrantem tergora primo
Veſtibulo ſiſtit pecudem, magnaeque trementem
Mactat Opi: tibique,inquit,ego hanc,Ops maxima,macto.
Tum Noctem, Noctiſque Deas, ignota precatur
Numina. jamque ſimul thyan, atramque cupreſſum 350
Urebat, quum vox terrae revoluta cavernis
Longe audita ſacras Nympharum perculit aures:
Nympharum, quibus aera ſolo ſunt condita curae.
Extemplo commotae omnes, ac coepta reponunt,
Sulphureos forte ut latices, & flumina vivi 355
Argenti, mox unde nitens concreſceret aurum,
Tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant.
Centum ignis ſpiſſi radios, centum aetheris uſti,
Bis centum concretorum terraeque mariſque
Miſcuerant, noſtros fugientia ſemina viſus. 360
At Lipare, Lipare, argenti cui ſemina, & auri
Cura data, & ſacrum flammis adolere bitumen:
Continuo obſcurae latebroſa per avia terrae
Ilcea adit, firmanſque animum ſic incipit ipſa:
Ilceu (namque tuum nec nomen, nec mihi labes 365
Ignota eſt, nec, quid venias) jam corde timorem
Exue. nequidquam non te huc cariſſima mittit
Callirhoë. tibi parta ſalus tellure ſub ima eſt.
Tolle animos, & me per opaca ſilentia terrae
Inſequere: ipſa adero, & praeſenti numine ducam. 370
Sic ait, & ſe antro gradiens praemittit opaco.
Ille ſubit, magnos terrae miratus hiatus,

Squallenteſque ſitu aeterno, & ſine lumine vaſtas
Speluncas, terramque meantia flumina ſubter.
Tum Lipare: hoc quodcumque patet, quam maxima
terra eſt, 375
Hunc totum ſine luce globum, loca ſubdita nocti
Dii habitant: imas retinet Proſerpina ſedes,
Flumina ſupremas, quae ſacris concita ab antris
In mare per latas abeunt reſonantia terras.
In medio dites Nymphae, genera unde metalli, 380
Aeriſque, argentique, aurique nitentis origo:
Quarum ego nunc ad te miſerans ipſa una Sororum
Advenio, illa ego, quae venas per montis hiantes,
Callirrhoae haud ignota tuae, fumantia mitto
Sulphura. ſic ibant terra & caligine tecti. 385
Jamque exaudiri crepitantes ſulphure flammae,
Concluſique ignes, ſtridentiaque aera caminis.
Haec regio eſt late, variis ubi foeta metallis,
Virgo ait, eſt tellus: quorum vos tanta cupido
Exercet, ſuperas caeli qui cernitis auras. 390
Haec loca mille Deae caecis habitamus in antris,
Nocte Deae & Tellure ſatae, queis munera mille,
Mille artes. ſtudium eſt aliis deducere rivos,
Scintillas aliis rimari, & ſparſa per omnem
Semina tellurem flammarum, igniſque coruſci. 395
Materiam miſcent aliae, maſſamque coërcent
Obicibus, multa & gelidarum inſpergine aquarum.
Non procul eruptis fumantia tecta caminis
Aetnaei Cyclopes habent, verſantque, coquuntque
Vulcano ſtridente, atque aera ſonantia cudunt. 400
Laeva haec abſtruſum per iter via ducit ad illos.

Dexte-

Dextera ſed ſacri fluvii te ſiſtet ad undam,
Argento fluitantem undam, vivoque metallo,
Unde ſalus ſperanda. & jam aurea tecta ſubibant,
Roranteſque domos ſpodiis, fuligineque atra 405
Speluncas varie obductas, & ſulphure glauco.
Jamque lacus late undantes, liquidoque fluentes
Argento juxta aſtabant, ripaſque tenebant.
Hic tibi tantorum requies inventa laborum,
Subſequitur Lipare, poſtquam ter flumine vivo 410
Perfuſus, ſacra vitium omne reliqueris unda.
Sic fatur, ſimul argenti ter fonte ſalubri
Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis
Membra ſuper, juvenem toto ter corpore luſtrat
Mirantem exuvias turpes, & labe maligna 415
Exutos artus, peſtemque ſub amne relictam.
Ergo age, quum primum caeli te purior aër
Accipiet, nitidamque diem, Solemque videbis,
Sacra para, & caſtam ſupplex venerare Dianam,
Indigenaſque Deos, & Numina fontis amici. 420
Sic Virgo, & juvenem tanto pro munere grates
Solventem e nocte aetherias educit in oras,
Dimittitque alacrem, atque optata in lumina reddit.
Accepit nova fama fidem, populoſque per omnes
Prodiit haud fallax medicamen: coeptaque primum 425
Miſceri argento fluitanti axungia porcae.
Mox etiam Oriciae ſimul adjuncta eſt terebinthi,
Et laricis reſina aëriae. ſunt, qui unguen equinum
Urſinumve adhibent, bdelae, cedrique liquorem.
Nonnulli & myrrhae guttas, & maſcula tura 430
Adjiciunt, miniumque rubens, & ſulphura viva.

Haud vero mihi displiceat, componere si quem
Trita melampodia, atque arentem juverit irim,
Galbanaque, & lasser grave olens, oleumque salubre
Lentisci, atque oleum haud experti sulphuris ignem. 435
His igitur totum oblinere, atque obducere corpus
Ne obscoenum, ne turpe puta: per talia morbus
Tollitur, & nihil esse potest obscoenius ipso.
Parce tamen capiti, & praecordia mollia vita.
Tum super & vittas astringe, & stuppea necte 440
Vellera: dein stratis tegmento imponere multo,
Dum sudes, foedaeque fluant per corpora guttae.
Haec tibi bis quinis satis est iterasse diebus.
Durum erit: at, quidquid tulerit res ipsa, ferendum est.
Aude animis. tibi certa salus stans limine in ipso 445
Signa dabit: liquefacta mali excrementa videbis
Assidue sputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.
Ora tamen foeda erodent ulcuscula: sed tu
Lacte fove, & cocto cytini, viridisque ligustri. 450
Tempore non alio generosi pocula Bacchi
Annuerim sumenda tibi, purumque Falernum,
Et Chia, & pateris spumantia Rhetica largis.
Sed jam age vicinae victor gratare saluti:
Ultima adest tibi cura, eadem & placidissima, corpus 455
Abluere, & lustrare artus, ac membra piare
Stoechade, amaracinisque comis, & rore marino,
Verbenaque sacra, & bene olentibus heracleis.

HIE-

HIERONYMI FRACASTORII SYPHILIDIS, *SIVE DE* MORBO GALLICO *AD PETRUM BEMBUM,*

LIBER III.

SED jam me nemora alterius felicia Mundi,
Externique vocant ſaltus: longe aſſonat aequor
Herculeas ultra metas, & litora longe
Applaudunt ſemota. mihi nunc magna Deorum
Munera, & ignoto devecta ex Orbe canenda 5
Sancta arbos, quae ſola modum requiemque dolori,
Et finem dedit aerumnis. age, Diva, beatum,
Uranie, venerare nemus, crineſque revinctam
Fronde nova, juvet in medica procedere palla
Per Latium, & ſanctos populis oſtendere ramos: 10
Et juvet haud umquam noſtrorum aetate parentum
Viſa prius, nullive umquam memorata referre:

Unde aliquis forſan novitatis imagine mira
Captus, & heroas, & grandia dicere facta
Aſſuetus, canat auſpiciis majoribus auſas 15
Oceani intacti tentare pericula puppes.
Necnon & terras varias, & flumina, & urbes,
Et varias memoret gentes, & monſtra reperta:
Dimenſaſque plagas, altoque orientia caelo
Sidera, & inſignem ſtellis majoribus Arcton. 20
Nec taceat nova bella, omnemque illata per Orbem
Signa novum, & poſitas leges, & nomina noſtra.
Et canat (auditum quod vix venientia credant
Secula) quodcumque Oceani complectitur aequor
Ingens, omne una obitum menſumque carina. 25
Felix, cui tantum dederit Deus. at mihi vires
Arboris unius ſatis eſt, uſumque referre:
Et quo inventa modo fuerit, noſtraſque ſub auras
Advena per tantum pelagi pervenerit aequor.
Oceano in magno, ardenti ſub ſidere Cancri, 30
Sol ubi ſe nobis media jam nocte recondit,
Hac ignota tenus, tractu jacet inſula longo:
Hiſpanam gens inventrix cognomine dixit:
Auri terra ferax: ſed longe ditior una
Arbore: voce vocant patrii ſermonis Hyacum. 35
Ipſa teres, ingenſque, ingentem vertice ab alto
Diffundit ſemper viridem, ſemperque comantem
Arbuteis ſilvam foliis: nux parva, ſed acris
Dependet ramis, & plurima frondibus haeret.
Materia indomita eſt, duro & pene aemula ferro 40
Robora, quae reſinam ſudant incenſa tenacem.
Diſſectae color haud ſimplex. in cortice, lauri

Exte-

Exteriore viret levor, pars altera pallet
Buxea: at interior nigro ſuffuſca colore eſt, (45
Juglandemque, ebenumque inter. quod ſi inde ruberet,
Jam poterat variis aequare coloribus Irim.
Hanc gens illa colit, ſtudioque educere multo
Nititur: hac late colles campique patentes,
Hac omnis veſtitur ager: nec ſanctius illis
Eſt quidquam, aut potiore uſu: quippe omnis in illa 50
Spes jacet hanc contra peſtem, quae caelitus illic
Perpetua eſt. validos abjecto cortice ramos
Multa vi tundunt, aut in ſegmenta minuta
Elimant, puroque ſcobes in fonte reponunt,
Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor. 55
Inde coquunt: nec non illos ea cura fatigat,
Vulcano ne forte furens erumpat aquae vis,
Et ſuperundantem ſpumam projectet in ignes.
Spuma quippe linunt, ſi quidquam e corpore toto
Abſcedit, ſi quidquam aegros depaſcitur artus. 60
Dimidia abſumta, ſupereſt quodcumque, reponunt,
Divini laticis. quin & ſegmenta relicta
Rurſus, ut ante, coquunt, addentes ſuaveliquens mel.
Scilicet hunc unum menſis accedere potum
Et lex ipſa jubet gentis, mandatque ſacerdos. 65
Servatum at laticem, & decocti pocula primi
Bina die quaque aſſumunt, quum ſurgit ab ortu
Lucifer, & ſero egreditur quum Veſper Olympo.
Nec prius abſiſtunt potu, quam menſtrua curſum
Luna ſuum, & totum peragrans perfecerit orbem, 70
Fraternaſque iterum convenerit aemula bigas.
Interea caecis ſe ſe penetralibus abdunt,

Quo neque vis venti, non halitus aëris ullus
Insinuet se se, & gelidis afflatibus obsit. (75
Quid mirandum aeque memorem, super omnia victum
Quam tenuem, quam magna sibi jejunia poscant?
Quippe solet satis esse, ipsum dum corpus alatur:
Dum superet vita, & tantum ne membra fatiscant.
Ne tamen ah ne tanta time, sacer ilicet haustus
Ille modo ambrosiae, vires reficitque fovetque, 80
Inque occulta gerit jejunis pabula membris.
Nectare ab epoto binas, non amplius, horas
Imponunt se se stratis, medicamen ut intro
Large eat, & calido sudorem e corpore ducat.
Interea vacuas pestis vanescit in auras. 85
Et (dictu mirum) apparet jam pustula nulla:
Jamque nomae cessere omnes, jam fortia liquit
Membra dolor, primoque redit cum flore juventa:
Et jam Luna suum remeans nova circuit orbem.
Quis Deus hos illis populis monstraverit usus: 90
Qui demum & nobis casus, aut fata tulere
Hos ipsos: unde & sacrae data copia silvae,
Nunc referam. Missae quaesitum abscondita Nerei
Aequora, in occasum, Solisque cubilia, pinus
Litoribus longe patriis, Calpeque relictis, 95
Ibant Oceano in magno, pontumque secabant,
Ignaraeque viae, & longis erroribus actae.
Quas circum innumerae properantes gurgite ab omni
Ignoti nova monstra maris Nereïdes udae
Adnabant, celsas miratae currere puppes, 100
Salsa super pictis volitantes aequora velis.
Nox erat, & puro fulgebat ab aethere Luna,

Lumi-

Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,
Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
Delectus, dux errantis per caerula classis, 105
Luna, ait, o, pelagi cui regna haec humida parent,
Quae bis ab aurata curvasti cornua fronte,
Curva bis explesti, nobis errantibus ex quo
Non ulla apparet tellus, da litora tandem
Aspicere, & dudum speratos tangere portus, 110
Noctis honos, caelique decus, Latonia Virgo.
Audiit orantem Phoebe, delapsaque ab alto
Aethere, se in faciem mutat, Nereïa quali
Cymothoë, Clothoque natant, juxtaque carinam
Astitit, & summo pariter nans aequore fatur: 115
Ne nostrae dubitate rates: lux crastina terras
Ostendet, fidoque dabit succedere portu.
Sed vos litoribus primis ne insistite: dudum
Ultra fata vocant: medio magna insula ponto
Est Ophyre; huc iter est vobis, hic debita sedes 120
Imperiique caput. simul haec effata, carinam
Impulit: illa levi cita dissecat aequora cursu.
Aspirant faciles aurae, & jam clarus ab undis
Surgebat Titan, humiles quum surgere colles
Umbrosi procul, & propior jam terra videri 125
Incipit. acclamant nautae, terramque salutant,
Terram exoptatam. tum portu & litore amice
Excepti, Diis vota piis in litore solvunt.
Quassatasque rates, defessaque corpora curant.
Inde, ubi quarta dies pelago, crepitansque vocavit 130
Vela Notus, remis insurgitur, altaque rursum
Corripiunt maria, & laeti freta caerula sulcant.

Lin-

Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,
Atque Hagia, atque alta Ammerie, exſecrataque tellus
Cannibalum, & ripa Gyane nemoroſa virenti. 135
Protinus innumerae panduntur turribus altis
Inſulae Oceano in vaſto, quas inter opacis
Undantem ſilvis unam, curſuque ſonantem
Fluminis aſpiciunt, magno qui ſpumeus alveo
In mare fulgentes auro ſubvectat arenas. 140
Hujus in ora placet pronas appellere puppes.
Invitant nemora, & dulces e flumine lymphae.
Jamque ſolo viridante alacres, ripaque potiti
In primis Terram ignotam, Nymphaſque ſalutant
Indigenas, Geniumque loci, teque, aurifer Amnis, 145
Quiſquis in ora maris nitida perlaberis unda.
Tum duram Cererem, & patrii carcheſia Bacchi
Aggere in herboſo expediunt: dein quaerere, ſi qui
Mortales habitent: pars fulvam fluminis undam
Mirari, mixtamque auro diſquirere arenam. 150
Forte per umbroſos ſilvarum plurima ramos
Aſſidue volitabat avis, quae picta nitentes
Caeruleo pennas, roſtro variata rubenti
Ibat nativo ſecura per avia luco.
Has juvenum manus ut ſilvas videre per altas, 155
Continuo cava terrificis horrentia bombis
Aera, & flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, Vulcane, tuum, dum Theutonas armas,
Inventum, dum tela Jovis mortalibus affers.
Nec mora, ſignantes certam ſibi quiſque volucrem, 160
Incluſam, ſalicum cineres, ſulphurque, nitrumque,
Materiam accendunt ſervata in reſte favilla.

Fo-

Fomite correpto diffusa repente furit vis
Ignea circumsepta, simulque cita obice rupto
Intrusam impellit glandem: volat illa per auras 165
Stridula: & exanimes passim per prata jacebant
Dejectae volucres: magno micat ignibus aër
Cum tonitru, quo silva omnis, ripaeque recurvae,
Et percussa imo sonuerunt aequora fundo.
Pars avium nemus in densum conterrita, & altos 170
Se recipit scopulos: quorum de vertice summo
Horrendum una canit (dictu mirabile) & aures
Terrificis implet dictis, ac talibus infit:
Qui Solis violatis aves, sacrasque volantes,
Hesperii, nunc vos, quae magnus cantat Apollo, 175
Accipite, & nostro vobis quae nunciat ore.
Vos, quamquam ignari, longum quaesita, secundis
Tandem parta Ophyrae tetigistis litora ventis.
Sed non ante novas dabitur summittere terras,
Et longa populos in libertate quietos, 180
Molirique urbes, ritusque ac sacra novare,
Quam vos infandos pelagi terraeque labores
Perpessi, diversa hominum post praelia, multi
Mortua in externa tumuletis corpora terra.
Navibus amissis pauci patria arva petetis, 185
Frustra alii socios quaeretis magna remensi
Aequora: nec nostro deerunt Cyclopes in Orbe.
Ipsa inter se se vestras Discordia puppes
In rabiem ferrumque trahet: nec sera manet vos
Illa dies, foedi ignoto quum corpora morbo 190
Auxilium silva miseri poscetis ab ista,
Donec poeniteat scelerum, nec plura loquuta

Hor-

Horrendum ſtridens denſis ſe ſe abdidit umbris.
Ollis oſſa rigor ſubitus percurrit, & omnis
Palluit, ac gelida fugit formidine ſanguis. 195
Tum vero ſacras volucres, Divoſque precati,
In primis Solem, & ſanctum ſervantia lucum
Numina ſupplicibus venerantur agreſtia votis:
Pacem orant, rurſumque Ophyren, fluviumque ſalutant.
Interea e ſilvis nigrum genus ora comaſque, 200
Ad naves nova turba virûm concurrit inermis,
Pectora nudi omnes, evincti frondibus omnes
Paciferis: tanta qui celſas mole carinas
Mirati, veſteſque virûm, fulgentiaque arma,
Vix ſatis expleri poſſunt: & ab aethere miſſi 205
Sive homines, ſive heroës ſint, ſive Deorum
Numina, adorantum ritu, precibuſque ſalutant:
Ante alios ipſum regem; cui munera laeta,
E ripis collectum aurum, & cerealia dona,
Et patrios fructus, & mella liquentia portant. 210
Veſtibus ipſi etiam noſtris, & munere multo
Donati, exceptique mero nova gaudia miſcent.
Non aliter, quam ſi menſis, dapibuſque Deorum
Mortalis quiſquam adſcitus, felixque futurus,
Hauriat aeternum, caeleſtia pocula, nectar. 215
Ergo, ubi amicitiae ſecuros foedere utrimque
Firmavere animos, habita & commercia gentis,
Ipſi inter ſe ſe reges in litore laeti
Complexu jungunt dextras, & foedera firmant.
Alter goſſipio tenui pectuſque femurque 220
Praecinctus, viridi limbum pingente ſmaragdo,
Ora niger: jaculo armatur cui dextera acuto,
Squa-

Squamosi spolium sustentat laeva draconis.
Alter at intexto laenam circumdatus auro,
Quam subter rutila arma micant, capiti aerea cassis 225
Insidet, & pictae volitant in vertice cristae:
Fulgenti ex auro torques cui candida colla
Cingunt, atque ensis lateri dependet Iberus.
Et jam commixti populi, hospitioque recepti,
Hi tectis domibusque, altis in navibus illi, 230
Laetitia ludisque dies per pocula ducunt.
Forte loco lux festa aderat, Solique parabant
Ultori facere umbroso sacra annua luco.
Hesperiaeque, Ophyraeque manus convenerat omnis.
Hic convalle cava, ripae viridantis in herba, 235
Selectorum ingens numerus, matresque virique
Confusi, plebs atque patres, puerique senesque
Astabant, animis tristes, & corpora foedi,
Squallentes crustis omnes, taboque fluentes:
Quos circumfusos albenti in veste sacerdos 240
Pura lustrat aqua, & ramo frondentis Hyaci.
Tum niveum ante aras caedit de more juvencum,
Et juxta positum pastorem sanguine caesi
Respergit, pateraque rigat: Solique potenti
Ad numeros Paeana canit: nec caetera turba 245
Non sequitur, mactantque sues, mactantque bidentes,
Visceribusque veru tostis epulantur in herba.
Obstupuit gens Europae ritusque sacrorum,
Contagemque alio non usquam tempore visam.
At Dux multa animo tacitus secum ipse volutans, 250
Hic erat ille, inquit, morbus, (Dii avertite casum)
Ignotum interpres Phoebi quem dira canebat.

Tum

Tum regem indigenam, (ut ſermo ſandique facultas
Jam communis erat) cui ſint ſolennia Divûm,
Scitatur: quid tanta aſtet convalle ſub alta 255
Languentum miſeranda manus: quid paſtor ad aras
Sacra inter, caeſi reſperſus ſanguine tauri.
Quem contra, Heſperiae o heros fortiſſime pubis,
Rex ait, hi gentis ritus, haec ſacra quotannis
Ultori de more Deo celebramus: origo 260
Antiqua eſt, vetereſque patrum fecere parentes.
Quod ſi externorum mores, hominumque labores
Audiviſſe juvat, primaeva ab origine cauſsam
Sacrorum, & peſtis miſerae primordia pandam.
Forſitan Atlantis veſtras pervenit ad aures 265
Nomen, & ex illo generis longo ordine ducti.
Hac & nos, longa ſerie, de ſtirpe profecti
Dicimur, heu quondam felix & cara Deûm gens,
Dum Caelum colere, & Superis accepta referre
Majores ſuevere boni: ſed, Numina poſtquam 270
Contemni coeptum eſt luxu faſtuque nepotum,
Ex illo quae ſint miſeros, quantaeque ſecutae
Aerumnae, vix fando umquam comprendere poſſem.
Inſula tum priſci regis de nomine dicta
Ingenti terrae concuſſa Atlantia motu 275
Corruit, abſorpta Oceano: quem mille carinis
Sulcavit toties, terrae regina mariſque.
Ex illo & pecudes, & grandia quadrupedantum
Corpora, non ullis umquam reparata diebus
Aeternum periere: externaque victima ſacris 280
Caeditur, externus noſtras cruor imbuit aras.
Tum quoque & haec infanda lues, quam noſtra videtis

Cor-

Corpora depaſci, quam nulli aut denique pauci
Vitamus, Divûm offenſis, & Apollinis ira
De caelo demiſſa omnes graſſatur in urbes. 285
Unde haec ſacra novo primum ſolennia ritu
Inſtituere patres, quorum haec perhibetur origo.
Syphilus (ut fama eſt) ipſa haec ad flumina paſtor
Mille boves, niveas mille haec per pabula regi
Alcithoo paſcebat oves: & forte ſub ipſum 290
Solſtitium urebat ſitientes Seirius agros:
Urebat nemora: & nullas paſtoribus umbras
Praebebant ſilvae: nullum dabat aura levamen.
Ille gregem miſeratus, & acri concitus aeſtu,
Sublimem in Solem vultus & lumina tollens, 295
Nam quid, Sol, te, inquit, rerum patremque Deumque
Dicimus, & ſacras vulgus rude ponimus aras,
Mactatoque bove, & pingui veneramur acerra,
Si noſtri nec cura tibi eſt, nec regia tangunt
Armenta? an potius Superos vos arbitrer uri 300
Invidia? mihi mille nivis candore juvencae,
Mille mihi paſcuntur oves: vix eſt tibi Taurus
Unus, vix Aries caelo (ſi vera feruntur)
Unus, & armenti cuſtos Canis arida tanti.
Demens quin potius Regi divina faceſso, 305
Cui tot agri, tot ſunt populi, cui lata miniſtrant
Aequora, & eſt Superis, ac Sole potentia major?
Ille dabit facileſque auras, frigufque virentum
Dulce feret nemorum armentis, aeſtumque levabit.
Sic fatus, mora nulla, ſacras in montibus aras 310
Inſtituit regi Alcithoo, & divina faceſſit.
Hoc manus agreſtum, hoc paſtorum caetera turba

Exſe-

Exſequitur: dant tura focis incenſa, litantque
Sanguine taurorum, & fumantia viſcera torrent.
Quae poſtquam rex, in ſolio dum forte ſederet 315
Subjectos inter populos, turbamque frequentem,
Agnovit, Divûm exhibito gaviſus honore,
Non ullum tellure coli, ſe vindice, Numen
Imperat, eſſe nihil terra ſe majus in ipſa:
Caelo habitare Deos, nec eorum hoc eſse, quod infra eſt.
Viderat haec qui cuncta videt, qui ſingula luſtrat,
Sol pater, atque animo ſecum indignatus, iniquos
Intorſit radios, & lumine fulſit acerbo.
Aſpectu quo Terra parens, correptaque ponti
Aequora, quo tactus viro ſubcanduit aër. 325
Protinus illuvies terris ignota profanis
Exoritur. primus, regi qui ſanguine fuſo
Inſtituit divina, ſacraſque in montibus aras,
Syphilus, oſtendit turpes per corpus achores.
Inſomnes primus noctes, convulſaque membra 330
Senſit, & a primo traxit cognomina morbus,
Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.
Et mala jam vulgo cunctas diffuſa per urbes
Peſtis erat, regi nec ſaeva peperceraat ipſi.
Itur ad Ammericen ſilva in Carthefide Nympham, 335
Cultricem nemorum Ammericen, quae maxima luco
Interpres Divûm reſponſa canebat ab alto.
Scitantur, quae cauſsa mali, quae cura ſuperſit.
Illa refert: ſpreti vos o, vos numina Solis
Exercent: nulli fas eſt ſe aequare Deorum 340
Mortalem: date tura Deo, & ſua ducite ſacra,
Et Numen placate; iras non proferet ultra.

Quam

Quam tulit, aeterna eſt, nec jam revocabilis umquam
Peſtis erit. quicumque ſolo naſcetur in iſto,
Sentiet. ille lacus Stygios, fatumque ſeverum 345
Juravit. ſed enim, ſi jam medicamina certa
Expetitis, niveam magnae mactate juvencam
Junoni, magnae nigrantem occidite vaccam
Telluri: illa dabit felicia ſemina ab alto:
Haec viridem educet felici e ſemine ſilvam: 350
Unde ſalus. ſimul obticuit: ſpecus intus, & omne
Excuſſum nemus, & circum ſtetit horror ubique.
Illi obeunt mandata: ſua ipſi altaria Soli
Inſtituunt: niveam, Juno, tibi, magna, juvencam,
Nigrantem, Tellus, mactant tibi, maxima, vaccam. 355
Mira edam. (at Divos juro, & monumenta parentum)
Haec ſacra, quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
Ante ſolo numquam fuerat quae cognita in iſto,
Protinus e terra virides emittere frondes
Incipit, & magna campis pubeſcere ſilva. 360
Annua confeſtim Soli facienda ſacerdos
Ultori nova ſacra canit. deducitur ipſe
Sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram,
Syphilus: & jam farre ſacro, vittiſque paratis
Purpureo ſtabat tincturus ſanguine cultros: 365
Tutatrix vetuit Juno, & jam mitis Apollo,
Qui meliorem animam miſeri pro morte, juvencum
Suppoſuere, feroque ſolum lavere cruore.
Ergo ejus facti aeternum ut monumenta manerent,
Hunc morem antiqui primum ſtatuere quotannis 370
Sacrorum. ille tuum teſtatur, Syphile, crimen,
Victima vana, ſacras deductus paſtor ad aras.

Illa omnis, quam cernis, inops miſerandaque turba
Tacta Deo eſt, veterumque luit commiſſa parentum.
Cui votis precibuſque piis numeriſque ſacerdos 375
Conciliat vates Divos, & Apollinis iras.
Luſtrati ingentes ramos, & robora ſanctae
Arboris advectant tectis: libamine cujus
Vi mira infandae labis contagia pellunt.
Talibus, atque aliis tempus per multa trahebant 380
Diverſis populi commixti e partibus orbis.
Interea, Europae fuerant quae ad cara remiſſae
Litora, jam rurſus puppes freta lata remenſae
Mira ferunt: late (proh fata occulta Deorum!)
Contagem Europae caelo crebreſcere eamdem, 385
Attonitaſque urbes nullis agitare medelis.
Quinetiam gravior naves it rumor in omnes,
Illo eodem claſſem morbo, juvenumque teneri
Haud numerum exiguum, & totis tabeſcere membris.
Ergo haud immemores, diras ceciniſſe volucres, 390
Affore, quum ſilva auxilium poſcatur ab illa,
Continuo faciles Nymphas, Solemque precati,
Intacti nemoris ramos, & robora ab alto
Convectare parant luco, medicataque ſumunt
Pocula, pro ritu gentis: quo munere tandem 395
Contagem pepulere feram. quin dona Deorum,
Haud patriae obliti, & felicem ad litora ſilvam
Noſtra jubent ferri, caelo ſi forſitan iſto
Aſſimilem pellant labem. nec fata ſecundos
Ipſa negant Zephyros, faciliſque aſpirat Apollo. 400
Munera vos Divûm primi accepiſtis, Iberi,
Praeſens mirati auxilium: nunc cognita Gallis,

Ger-

Germaniſque, Scythiſque, orbe & gaviſa Latino
Jam nunc Europam vecta eſt Huyacus in omnem.
Salve, magna Deûm manibus ſata ſemine ſacro, 405
Pulchra comis, ſpectata novis virtutibus arbos:
Spes hominum, externi decus, & nova gloria mundi:
Fortunata nimis, natam ſi Numina tantum
Orbe ſub hoc, homines inter gentemque Deorum
Perpetua ſacram voluiſsent creſcere ſilva. 410
Ipſa tamen, ſi qua noſtro te carmine Muſae
Ferre per ora virûm poterunt, hac tu quoque parte
Noſcêris, caeloque etiam cantabere noſtro.
Si non te Bactra, & tellus extrema ſub Arcto,
Non Meroë, Libyciſque Ammon combuſtus arenis, 415
At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet, & molles Atheſi labente receſsus.
Et ſat erit, ſi te Tiberini ad fluminis undam
Interdum leget, & referet tua nomina BEMBUS.

FINIS.

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS JOSEPH

LIBRI DUO,

AD

ALEXANDRUM FARNESIUM

CARDINALEM AMPLISS.

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS IOSEPH

LIBRI DUO.

AD

ALEXANDRUM FARNESIUM

CARDINALEM AMPLISS.

HIERONYMI FRACASTORII JOSEPH, AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM AMPLISS.

LIBER I.

UAE veterum Heroum, divae, facta inclyta, Musae,
Et monumenta aevi longis obscura tenebris
Illustrare novis numeris, & carmine sacro
Ferre per aetates omnes, perque ora nepotum
Gaudetis, famamque virûm proferre sub auras, 5
Nunc, o, nunc populi illius, quem maximus unum
Delegit Deus, & generis longo ordine ducti
Principe ab Abramo, veteres evolvite fastos:
Et Juvenem cantate pium, quem magnus Iacob
Isacides genuit: dederat cui nosse futura 10
Per somnos monstrata Deus. vos dicite, quanta
Ille tulit, Phariis tandem dum victor in oris

Imperium gereret magnum, populumque beatum
Conderet, unde ſalus hominum, ſpes unde futura
Vitae erat, & clauſi reſerandum limen Olympi. 15
Nec minus, Italiae Juvenis decus (omnia quando,
Quae canimus, tua, FARNESI, ſunt maxima juſsa)
Ipſe ades: &, plenum ſcopulis dum currimus aequor,
Da faciles in vela auras, da numine dextro
(Namque Deus mihi ſemper eris) tua grandia vota 20
Poſse ſequi, pelagique omnes ſuperare labores.
En, primas ſulcantem undas me litora Joppes,
Me juga Samariae, nemoroſaque paſcua Sichen,
Jordaniſque vocat: curvis en vallibus Hebron
Applaudit, caeloque ſimul tua nomina tollit, 25
Reſponſatque Tabor voces, & ſidera pulſat.
Noverat infernus Pluton, cui multa futuri eſt
Scire datum, in fatis Abrami e ſanguine ſacram
Progeniem terris promitti, Tartara per quam
Evertenda forent. metuenti talia Paſtor 30
Rexque idem Sichenus erat ſuſpectus Iacob,
Inviſuſque nimis: tum quod nec ſanctius alter
Juſtitiam legemque Dei ſervaret, & aris
Tura daret: tum quod biſsena prole beatus
Natorum, populum in ſanctum concreſcere ſolus 35
Poſse videbatur. quare hanc intentus in unam
Progeniem, dabat omnem operam, quo perdere poſset:
Praeſertim egregium puerum, cui ſidera fauſta
Naſcenti, & late felix arriſerat aether.
Qui patre longaevo Rachele e conjuge cara 40
Natus, erat patri ante alios dilectus Ioſeph.
Hunc forma inſignem Charites ſtudia inter alebant
In-

Ingenua, & mores, & avitae legis amorem?
Cui mens alta inerat quaedam divina futuri,
Atque animus ſemper ſummi admirator Olympi, 45
Et pia relligio, & puero prudentia major.
Ex his invidiam Daemon tacitumque ſerebat
Fratribus in reliquis odium, & mortale venenum.
Nec tantis non ipſa malis Fortuna fovendis
Affuit, augendiſque odiis. nam forte per aeſtum 50
Quum fraterna cohors pecudes ad pabula nota
Lanigeras una ſilvas duxiſset in altas,
Iliceaque umbra reſiderent, primus Ioſeph
In fratres converſus ait: mea ſomnia, fratres,
Audite, illa quidem mira, &, niſi me mea fallunt 55
Auguria, haud vani ſpeciem referentia ſomni.
Namque, ſub Auroram quum ſe ſe ſidera condunt
Caſura jam nocte, & ſolus nunciat ortum
Lucifer, ipſe meas ſpicas offerre videbar
Sacras ante aras, pariter vos ponere veſtras. 60
Sed noſtri caelum faſces ſe tollere in altum,
Et rutilam inſignes late diffundere lucem:
Veſtri autem obſcuri, atque humiles ſummittere ſe ſe,
Utpote adorantes noſtros. Cui grandior annis,
Atque odio in puerum non parvo accenſus Iudas, 65
Vane puer, quid mira vocas tua ſomnia? numquid
Forte, inquit, Deus illa aliquis tibi mittit ab alto?
Credo equidem, nam vina Deum dicuntur habere.
Augurium quodnam ſomno tibi fingis ab iſto?
An forſan Rex noſter eris? tibi pone coronam 70
E lauro, noceant regi ne vina futuro.
Talia dicenti fratrum quoque cetera turba

Adcla-

Adclamant, regemque novum, dominumque ſalutant,
Et puero illudunt, tum patri haec ſomnia narrant.
At ſenior, cui non aberat Deus, omnia mente 75
Evolvit tacita, atque in nato grande futurum
Neſcio quid ſpectans, aliis tamen omnia vultu
Diſſimulat, puerumque monet nos ludere ſomnos.
Ille autem, cui fata Deus majora parabat,
Poſt paullo in ſomnis aliud quid pondere majus 80
Conſpexit. nempe in celſa ſibi ſede locato
Sub pedibus Solem ac Lunam ſtellaſque minores
Undique adorantes divinos reddere honores.
Quorum ille interpres, (talem nam Numina mentem
Indiderant,) rurſus fraternas omnia ad aures 85
Detulit. illi autem non celavere parenti
Somnia, non offenſum animum, non pectora amara.
Obſtupuit primum genitor, puerumque vocatum
His, velut interpres ſomni, duro increpat ore:
Tene igitur pater ac mater fratreſque, ait, & plebs
Omnis adorabit? tu ſede locabere in alta,
Nos infra viles humileſque precabimur? ah te
Si malus hic error tenet, & ſpes impia nutrit,
Pone animum hunc, levibuſque iſtis & inanibus umbris
Tolle fidem, teque his fallacibus eripe monſtris: 95
Quae Dii, ſi mala ſunt & iniqua, immittere nobis
Non ſuevere boni, ac potius mala Numina, Manes
Inferni exitium in noſtrum ludibria fingunt.
Sic falſa ex adytis referunt oracula, ſic &
Auguria ex avibus, diſsectis omina ab extis. 100
An tibi non Belus, non eſt tibi notus Anubis,
Atque Ops, atque Hecate, non cetera turba Deorum,

Quos

Quos miſerae Gentes aris, templiſque dicatis
Ob reſponſa colunt, lex autem noſtra prophanat?
Vade age, & haec nobis poſthac ne ſomnia perfer. 105
Sic ait, & natos alios per dulcia mulcens
Dicta pater, jubet in Sichen, ſaltuſque virentes
Ducere molle pecus, puerum conſiſtere Ioſeph
Se penes. expediunt juvenes mandata paterna,
Feliceſque Hebron valles, & amoena vireta 110
Inviſunt: ſed non virides in vallibus herbae,
Non umbrae nemorum, placidaeve e collibus aurae,
Non volucrum cantus inimica inſomnia poſſunt
Ex animis delere: eadem per ſingula verſant,
Exacuuntque odia, atque iris laxantur habenae, 115
Injunguntque minas: dirae ſerpentibus atris
Eumenides inſtant. atque haec per talia jam Sol
Condiderat geminos ortus, quum luce ſequente
Caſtra movere parant, Dothaïnque in paſcua laeta
Ducere oves, quo plus patriis ab ovilibus abſint, 120
Producantque magis reditum, quae inviſa gerebant.
Ergo aliam atque aliam ſolito plus forte morati
Quum traherent cum nocte diem, miratus abeſſe
Hos tantum genitor, confeſtim accerſit Ioſeph:
Ique, ait, o mihi care puer, fratreſque require 125
In Sichen, patrique refer, quae cauſſa morandi:
Nam timeo, nequid male fauſtum evenerit illis,
Aut pecori. Ille viam, nulla eſt mora, corripit, & jam
Advolat in Sichen: ſed fratribus & grege nuſquam
Compertis, quid agat, dubius huc ſpectat & illuc, 130
Omnia colluſtrans oculis: modo nomine fratres
Magna voce vocat: tantum nemora alta vocanti

Re-

Respondent, vallesque cavae. Forte ilicis altae
Frondator ramorum aderat, qui, ut vidit anhelum
Ancipitemque sui puerum, noto obvius illi, 135
Quid quaeris, puer? inquit: oves si forte paternas,
Si fratres, ne quaere istis in vallibus illos,
Quandoquidem audivi dicentes, saltibus ex his
In Dothaïn cedamus: ibi fratresque pecusque
Invenies: dein monstrat iter, qua tramite recto 140
Ocyus inveniat laetissima pabula, namque
Plurima pars exusta aret, nec gramina nutrit.
Ille datum festinat iter: jamque ultima Sichen
Emensus, Dothaïn laetus propiora tenebat,
Quum specula longe venientem vidit ab alta 145
Plena odii fraterna cohors, ac protinus, en Rex
Noster, ait, quem Sol, quem Luna, & sidera adorant.
Nos famuli viles ad pastoralia nati,
Per deserta die rabido sub Sole vagamur:
Nocte in speluncis, patulave sub arbore somnos 150
Captamus, tecti rude lana & pellibus hirtis,
Despecti, vilique polenta, & flumine pasti.
Ille patris mensa virgata in veste recumbens
Lactibus haedorum, & lumbo pinguescit ovili,
Repleturque mero: tum stertens impia nobis 155
Somniat. huncne igitur, fratres, atque ista feremus
Opprobria? anne adeo caeci exspectabimus, ut jam
Grandior, atque animis fidens & patris amore
Nos premat, & ditionem omnem & fausta omina patris
Surripiat, sic vera nimis sua somnia reddens? 160
Heu fratrum ignarae mentes, & pectora caeca.
Cur potius, dum testis abest, dumque omnia nobis

Dant

Dant animos, non hunc capimus? cur protinus istis
Confossum gladiis, puteo non condimus illo,
Qui prope contegitur dumis & sentibus atris? 165
Dicemusque fame rabidorum ursive lupive,
Qui multi deserta habitant haec, dente peremtum.
Talia jactabant inter se se effera fratres
Consilia. at, cunctis aderat qui major & annis,
Et major pietate Ruben, Dii talia nobis 170
Avertant, ait; ah vestras ne sanguine, fratres,
Fraterno maculate manus, neve ira Deorum
Hoc velit, ut scelus ob tantum nos, & domus, & grex
Una omnes pereamus. abest si testis, at ipse
Est testis Deus: ipse Deus, quem nulla latere 175
Facta queunt, quique hic & nos nunc spectat, & audit.
Si tamen est animus vobis secludere prorsus
Hunc puerum, sine caede ejus, sine sanguine in illum
Trudite vicinum puteum, & dimittite fatis.
Haec vero suadebat, uti jam caede remota 180
Mox ipse ad puteum sera jam nocte rediret,
Extraheretque illum, & misero sua pignora patri
Redderet, ac fratrum tandem componeret iras.
Verba omnes movere. placet sine caede prehensum
Projicere in puteum, & miserum dimittere sorti. 185
Tum Ruben, a vobis fuerint quaecumque peracta,
Horum me insontem videat Deus. ac procul inde
Discessit, silvisque latens se condidit altis,
Visurus rerum eventum. & jam laetus Ioseph
Festinans aderat: contra fratrum impia turba 190
Circumfusa ruit minitans, manibusque revinctis
Nunc, inquit, tua vana tibi quid somnia prosint,

Aspi-

Aſpicies: numquid regi parebimus omnes?
Ille pavens, ſtupiduſque rei novitate precari,
Talia ne inſonti facerent, Superoſque vocare 195
Nequidquam: quando impatiens magis & magis urget
Creſcens corde furor, facibus furialis Erynnis
Inſtat atrox, Daemonque malus, qui obſiſtere fatis
Poſſe putans, cunctorum aciem vertebat in unum.
At puer, ut nullis precibus, nulliſve moveri 200
Fratrum corda videt lacrimis, ſed jam impete multo
Compelli in foveam, quod reſtat, lumina tollens
In caelum, tales fundebat ad aethera queſtus:
Dii Abrahae, Dii magni Iſac, Dii patris Iacob,
Vos ego ſi ſancte colui, ſi juſſa paterna 205
Semper obii, ſemperque pie & ſine crimine vixi,
Aſpicite: &, ſi fata mihi nunc ultima dant, ut
Jam moriar, miſerum ſaltem ſervate parentem.
At vos o, tenere, fratres, quos ſemper amavi,
Majoreſque habui, curate, haec triſtia ad aures 210
Ne patris adveniant, ſed me rapuiſſe latrones
Dicite, quo ſaltem ſpe ſe ſoletur inani
Viventis nati, Stygias nec tendat ad umbras
Ante diem: deſerta ipſe intumulatus arena
Emoriar. lacrimae dicenti talia fuſae 215
Ex oculis cecidere, ſimul voxque ipſa repreſſa eſt.
Et jam etiam fratrum ſedari pectus & ira
Coeperat, Iſachar quum, ne deſiſtite, fratres,
Dixit, ab incepto, quin vinctum & fune ligatum
In foveam mittamus: ibi ſuſpenſus in imo 220
Siſtatur fundo, donec meliora parent Dii
Conſilia, atque cibum interea capiamus in herba,

Quan-

Quandoquidem jam Sol invitat, & altior hora.
Assensere omnes dictis, puerumque revinctum
Ad puteum flentem ducunt: hic fune ligata 225
Arboris ad truncum pendentis desuper altae
Demittunt pavitantem intro, fundoque relinquunt
Suspensum. ast ipsi circum per gramina fusi
Implentur vili cerere, & cariotide pingui.
At Deus, aetherio terras qui spectat ab axe, 230
Insontem aspiciens, illo & miseratus amore,
Quo mare, quo terras, quo caelum condidit altum,
Unum ex aligeris, qui circum mille, Ministris,
Exspectant mandata, vocat: fidissime, & inquit,
Vade age, Samariamque tibi notissima dudum 235
Arva pete, &, quem scis fatis ad magna vocari
Isacidae puerum, qui caeco poscit ab antro
Auxilium, & fraterna odia & facta impia plorat,
Hunc inopem solare: nec est mandare necesse,
Quae referas, cui nota mea est & aperta voluntas. 240
Sic ait, & nutu placido, quo sidera cursu
Perpetuo ducit, Juvenem dimittit. at ille
Aetherias humeris accingit tenuibus alas,
Queis caelum illaesum penetrat, queis nubila tranat,
Praevertitque fuga Zephyros. jamque aethera scindens,
Aërios tractus, & inania lata secabat.
Qualis, ubi in liquidis stagnis, aut ardea longe est,
Aut albus conspectus olor, sacer accipitrum rex
Post varios gyros sublimis ab aethere lapsus
Immotis secat alta ruens oculo ocyus alis. 250
Impete non alio Volucer caelestis adibat
Samariae terras; primus quem vertice summo

Exce-

Excepit Tabor, insuetum frondescere silvas
Miratus, terramque nova vestirier herba,
Et varios praeter solitum summittere flores. 255
Excepere illum prognatae monte Napeae,
Et divina Deo cecinerunt: omnia rupes
Responsant, ipsa antra Deum, silvaeque salutant.
At sacer Interpres Divorum, ut vertice ab alto
Lumina deflexit terris, ac gramine fusos 260
Vescentesque videt fratres, ast inde camelos
Mercatorum Arabum spectat, Jovis omnia facta
Imperio, hinc animum ad miserum convertit Ioseph,
Descenditque celer: puteique in margine summo
Ut stetit, extemplo nova lux effulsit in antro, 265
Miratum & subitus puerum circumstetit horror.
Quem pius Interpres placida sub imagine, & ipso
Ore puer puerum dictis solatur amicis:
Pone metum, Diis care, patrum Deus ille tuorum,
Qui caelum regit, huc alto me ex aethere mittit, 270
Qui referam mandata tuos solantia luctus.
Hinc primum mittêre foras, sed venditus auro,
Nomine mancipii: tum Nili in regna fereris,
Atque iterum vendêre illic, multosque per annos
Servus eris. tunc ne vetita atque injusta libido 275
Te alliciat, neu Dii alieni, & falsa, caveto,
Numina decipiant, vestrum si semper habebis
Corde Deum, ipse aderit semper tibi, te bona semper,
Quidquid ages, quocumque iëris, fortuna sequetur.
Quin, magis ut fidas animis, tibi magna parantur 280
Imperia, & tempus veniet, quum vera videbis
Somnia visa tibi, quum te fratresque paterque

Sup-

Supplice adorabunt fletu: miſereberis illis,
Nec miſeros patiere fames ut perdat iniqua:
Quin ipſos, natoſque eorum, ipſoſque nepotes 285
In partem imperii, atque in tua regna vocabis:
Ingens ut tandem populus concreſcat, arenae
Inſtar: quem Deus Aegypti de parte ſuperba
Deducet tandem, & pedibus ſuper aequora ſiccis
Pertranſiſſe dabit, mox haec in regna reducet, 290
Lacte novo quae regna fluent, & melle perenni.
Mox (anni properate) diem felicia ſecla
Aſpicient, ſecla illa diem, quam tanta futuram
Vatum oracla canunt, quum demittatur ab alto
Magna Dei Soboles, veſtro de ſanguine creta, 295
Quae ſcelus antiquum tollat, quae limina Caeli
Clauſa diu, magnique fores praepandat Olympi.
Nec plura effatus Caelum ſe tollit in altum.
At juvenis, quamquam ſtupefactus Numine tanto,
Reſtitit, & rerum confuſus imagine multa, 300
Laetatur tamen, atque animum per ſingula verſat,
Speque futurorum praeſentem corde dolorem
Diſcutit, atque oculos in caelum & ſidera tollens
Sic fatur: Rex terrarum, Rex aetheris alti
Omnipotens, patrum Deus & tutela meorum, 305
Reſpice nos, & noſtra tuo ſub Numine ſi ſpes
Eſt omnis, ſuper his primum miſerere parentis.
De me autem quidquid ſtatuet tua recta voluntas,
Seu laetum, ſeu triſte pares, nihil ipſe recuſo.
Unum oro, ſi Parca mihi vidiſſe negabit 310
His oculis felicem illam, ſemperque beatam,
Optatamque diem, qua tandem ex aethere ſummo

Descendet tua Progenies, da cernere saltem
In speculo, atque umbra monstra mihi, speque fideque
Noscere da, puroque ejus de fonte lavari. 315
Dixit, & ex imo traxit suspiria corde.
Interea e Madian, stacten, bdelamque ferentes,
Cinnamaque, & liquidam styracen, & pinguia tura
Transibant Arabes, qua stabant gramine laeto
Vescentes juvenes simul & diversa loquentes. 320
Qui ut primum videre viros, Deus, inquit Iudas,
O fratres, meliora parat, quam nostra ferebant
Consilia: his etenim si mercatoribus ipsum
Vendamus puerum, tum lucro, auroque piati
Fraterna a morte immunes reddemur, & ad nos 325
Posthac nec fama adveniet, nec nomen Ioseph;
Sive Arabes isti Aegyptum, seu barbara regna,
Marmaricam, Libyamve petant. ergo unus ad illos
Mittatur, qui mancipii sub nomine, merce
Proposita pretium statuat, responsa reportet. 330
Dicta placent, qui pacta ineat, jam mittitur: ipsi
Interea speluncam adeunt, funemque ligatum
Arboris ad truncum solvunt, & in aethera sursum
Suspensum educunt puerum: qui talis in auras,
Qualis mane rosa, aut riguo narcissus in horto, 335
Prodiit, & formae servato vera decore
Signa dedit, certumque Dei praesentis amorem.
Jamque aderat mercator Arabs, & nuncius una
Vile satis pacti pretium. proh Jupiter, ille,
Quem tanta in fatis promissa, & tanta manebant 340
Imperia, argenti bis deno venditur asse,
Mancipium infelix. jam curvo terga camelo

Exci-

Excipitur. Nili ignotas jam fertur in oras.
At quadrupes, ceu divino ſub pondere, vector
Inſolitos dedit hinnitus, & ſigna recentis 345
Laetitiae: jamque & grato faciliſque, leviſque
Seſſori tergum, ſellamque accommodat aptam,
Agglomeranſque pedes, retro ſocia agmina linquit.
At fratres, puer ut ceſſit, mala nuncia patri
Quis ferat, & quo infanda tegant facta impia pacto,
Ambigui, tandem ſtatuunt praemittere veſtem
A puero ereptam, caprino ſanguine tinctam
Qui ferat, inventamque inter nemora avia dicat:
Danque placet mandata dari: qui inſtructus abunde
Omnia, longaevum non haec miſeranda parentem 355
Exſpectantem adit, & monſtrato ſanguine & ipſa
Veſte, ait: hanc noſtrae nemora inter devia primae
Invenere canes: cujus ſit veſtis, & unde
Hic cruor, ignari, patrem primum eſſe monendum
Duximus, ut te (ſiquid agendum eſt) conſule agatur.
At pater, ut notam, maculiſque & ſanguine veſtem
Conſperſam vidit: quis te, cariſſime Joſeph,
Quis Divûm, ut tecum morerer, ſpes una ſenectae,
Nate, meae, quis caſus, ait, tam durus ademit?
Heu mala te ſilvae fera ſuſtulit. ite per alta 365
Vos nemora, &, ſiquid miſero de corpore reſtat,
Omne afferte mihi, ſaltem ut ſuprema ſepulcri
Dona feram: vel & ipſe, feris laniandus, in altas
Proripiar ſilvas: dabitur natoque patrique
Mors eadem. haec dicens, foedatos pulvere canos 370
Vellebat, laceroſque ſinu exſcindebat amictus:
Et famuli tandem collapſum in tecta reportant.

Parte alia Ruben, ut ſerum ſe veſper in orbem
Intulit, ad caulas pecudes pecudumque magiſtri
Quum redeunt, ſaltuſque vacant paſtoribus omnes, 375
Deſertum ad puteum ſolus redit, atque ibi Joſeph
Terque quaterque vocat. non reſpondente vocanti
Ullo, ſollicitus, puerum ne forte necaſſent,
Rem ſpectare parat, caeſaque ex ilice conto
Scalam aptat, ſolerſque imum ſe mittit in antrum, 380
Omnia colluſtrans. verum, poſtquam omnia dudum
Rimatus, puerum quaeſitum haud reperit uſquam.
Ambiguus tandem reliquos perquirere fratres
Deſtinat: ac pecoris veſtigia nota ſecutus
Per noctem, demum inventos, de fratre quid actum
eſt, 385
Inter multa rogat. rem totam ex ordine pandunt.
At Ruben, ut puerum audivit ſupereſſe, nec ullis
Affectum damnis, hinc, fratres, inquit, eamus
Ad miſerum genitorem, & ſpe viventis & auras
Spirantis gnati ſaltem (quod nunc datur unum) 390
Solemur, rapuiſse Arabes de more, relicta
Veſte, levi pueri fugientis vulnere tincta:
Paſtores ita ferre. aliquemque adducere teſtem
Expediet, neque enim deerunt, qui dicere poſſint
Se vidiſse Arabes. his ergo rite paratis 395
Patrem adeunt, & quae poſsunt, ſolatia jungunt.
Ille autem, quamvis aliqua ſpe forte levatur,
Non tamen aeternas lacrimas planctuſque perennes
Comprimere, aut triſti meditari gaudia mente
Ulla poteſt, ſed vitam aegram noctesque dieſque 400
In tenebris, hominum fugiens conſortia, ducit.

Inte-

Interea puerum laetus deportat Ioſeph
Mercator, plenis miratus cedere votis
Omnia. non illis terrae exarſere diebus:
Non ventis agitatae ullae tolluntur arenae 405
Ex ſolito: puerum Charites comitantur euntem,
Et Caeli favor, & fauſtis Spes dextera pennis.
Jamque pererratis Judaeae finibus, altae
Incipiunt turres & moenia Oſyridis urbis
Apparere procul, campis ubi fuſa juventus 410
Munera militiae exercent: hi vincere curſu
Contendunt pedibus, hi fulvo in pulvere ſudant
Luctantes, alii duro ſub pondere ceſtus.
Pars volucres exercet equos, curſuque fatigat,
Aut inferre hoſti verſas poſt terga ſagittas 415
Diſcit equo currente, aut haſtam tollere campo.
Ergo Arabes poſtquam acceſsere, & pulcher Ioſeph,
Mirati pugnas, placidi & praeludia Martis,
Conſiſtunt, oculiſque intenti & pectore toto
Vix ſatis expleri poſsunt. quos forte magiſter 420
Militiae, Eunuchus Regis, cui ſumma poteſtas
Et duri data erant Mavortia munera belli,
Ut vidit, confeſtim ad ſe ſe accedere juſsos
Compellat. geritiſne ullas, quas vendere, merces,
Optetis? quaedam, dixere, & aromata, & iſtum 425
Geſtamus puerum, domino qui ſi placet, ultro
Munus habe: aut emtum ſi mavis, pro indole tanta
Da quodvis: pretium eſt magnum tua gratia nobis.
Ille autem, haud umquam ingratum, mercator, habebis
Fetifarum: accipiam puerum, at tu munere largo, 430
Speque tua majore, mihi donabere multo.

His dictis recipit puerum, quem veste decora
Induit, & sagulum donat, quo purpura limbo
Fulva nitet, tum donat equum: laetissimus ille
Altior it juvenes inter pulcherrimus omnes. 435
Quem custode dato laetus praemittit ad urbem
Fetifar, & carae uxori commendat habendum.
Interea seras invexerat Hesperus horas,
Et juvenum campis cedens manus omnis apertis
Ibat ovans comitata ducem, ac jam pulcher Ioseph 440
Ut dominam invisit, thalami & cognovit herilis
Officia, ipse humilis servorum se agmine miscens
Obvius it domino. media se qualis arena
Monstrat gemma nitens, radiisve micantibus aurum,
Talis & ipse puer multis in millibus ibat. 445
Quem matres, populusque omnis mirantur, ut ipso
Incessu, gravis ore, pedes non dimovet usquam
A duce, non oculos, sed semper totus in illo est.
Nec minus, intra aedes ut ventum, epulaeque paratae,
Ipse ulli deest officio, seu corpore opus sit, 450
Seu celeri ingenio. sed enim super omnia mira est
Grataque sedulitas, apta & prudentia cana.
Quo factum est parvo post tempore, Fetifar illum
Non thalamo ut tantum ipse suo praefecerit unum,
Sed domui, & rerum ei summam commiserit omnem.
Scilicet auspiciis & Diis cuncta ire secundis
Fetifaro sint visa, agri producere fruges
Uberius, sobolem armentum, sibi crescere honores.
Omnia quae, ostento quodam permotus, Ioseph
Attribuit puero, vatumque oracula suadent. 460
Arbor erat Persaea, Deo sacrata Camesi,

Aedi-

Aedibus in mediis, quam vectam e Perſide fertur
Orbe pererrato monumentum inſigne futurum
Ipſa ſuis manibus plantaſſe nepotibus Iſis.
Hanc apis externis veniens inſedit ab oris, 465
Inſignis fulgore & verſicoloribus alis
Pulcher apis: quem mox examen grande ſecutum
Pendentem ramo longum traxere racemum.
Protinus oſtentum ad vates defertur. at ipſi
Venturum externis aliquem portendere ab oris 470
Declarant, ingens populus quem deinde ſequatur,
Ipſum qui fortunae opibus ſuper aethera tollat
Fetifarum, largoſque ſimul promittat honores.
Ergo his auguriis tantis cenſetur Ioſeph
Monſtrari, hinc majore illum dignatur honore 475
Fetifar, hinc omnes adamant: ſed maxime Iempſar
Pulchra ducis conjux prae cunctis diligit unum,
Neſcia adhuc, quanto jam ſit devota furori,
Quis Deus inſideat miſeram. ſuſpiria nondum
Emittit, nondum lacrimas: ſunt omnia laeta 480
Dulciaque, & nondum quidquam perſentit amari.
Quae malus, infernas ſedes, Cocytia regna,
Qui regit, humani generis turbator & hoſtis
Ut vidit Pluton, ſemenque accreſcere felix
Iſacidum, inviſam ſobolem, vocat ocyus unum 485
Servorum, quibus inſidiae fraudeſque dolique
Sunt animo, queis mille arteſque viaeque nocendi,
Ique, ait, & pulchram circum inſinuatus Iempſar
Falle dolo, & primas eſcas, quas ſenſit amoris,
Tu flabris accende, imis illum oſſibus ignem, 490
Illam immitte facem, quam nec vis ulla Deorum,

Non hominum exſtinguat: mox ipſum accendere Ioſeph,
Si poſſis, omni arte ſtude. quod vincere ſi qua
Non dabitur, tu perge tamen, pete rurſus Iempſar,
Acrius ure, furorem adde, inſpiraque venenum: 495
Queis monſtris agitata domum permiſceat omnem,
Inque odium, furiaſque omnem convertat amorem.
I celer, & nihil inde doli ſceleriſque relinque.
Ille hilaris, promtuſque malis ſumtam e Styge lympham
Miſcet Acidalio latici, tum ex anguibus unum 500
Tiſiphones capit, atque ſinu mala ſemina condit.
Fetifari dein tecta petens, nutricis Iempſar
Induit Iphicles formam, dominamque ſalutans
Audi, ait, o mihi cara, miſer quis caſus Ioſeph
Torquet ad extremum vitae: vidi ipſa gementem 505
Nuper, & optantem ſupremae munera vitae.
Quaerenti mihi quae tanti ſit cauſsa doloris,
O mater, ne quaere, inquit, nam, ſive tacebo,
Sive edam, omnino moriar: praeſtatque tacendo
Et vitam, & noſtri cauſsam finire doloris. 510
Cui ego: non ſic, o fili, nam vulnera ſaepe
Auxilium patefacta & opem invenere ſalubrem.
Dic audacter, amaſne? haec ſi tibi cauſsa doloris,
Spera, & fide, puer, namque ipſum vel tibi amorem
Eripiam magicis, vel tu potiere cupito. 515
Erubuit: tum dixit, amo. Dii ſunt mihi teſtes,
Hunc quantum eluctans cepi, quam invitus amorem,
Infidum in dominum qui me facit. at mihi ſit mors
Exoptanda magis, fidum periiſſe juvabit.
Sic ait, & fuſis lacrimis pulchra ora rigabat. 520

Ut

Ut video, puer hic dominam te deperit: & ni
Opportune adſis, nimio moriturus amore eſt.
Cui virgo, o nutrix, quam dura & triſtia narras!
Namque & amo hunc puerum, & vellem ſuccurrere poſſe:
Sed me jura Deûm, ſed vincla jugalia primum 525
Obſiſtunt: tum me tanto male ſana periclo
Objiciam, & duri haud formidem conjugis arma?
Et nutrix, o nata, ipſorum crimina amantum
Dii ridere ſolent: ſolvendi jura mariti
Cauſsa potens & juſta tibi eſt depellere mortem 530
A puero, qui nec culpam commiſerit umquam,
Culpa niſi eſt vel amare nimis, vel amore perire.
Audendum eſt in amore, pericla nec ulla timenda
Prudenti, Dii deinde ipſos tutantur amantes,
Queis amor, & pietas eſt prima & maxima cura. 535
Eſt mihi aqua, in dubiis rebus quae aſſumta videre
Vera facit, dubiique omnis pars utra legenda eſt.
Hanc dabo, ſi hac in re ancipiti ſtat cernere verum.
Ac Stygiam demonſtrat aquam, medicataque fonte
Pocula Acidalio. placet, o cariſſima nutrix, 540
Virgo, inquit, totumque manu capit ipſa venenum
Intrepida, atque uno craterem exhauriit hauſtu.
His actis puerum Iphicle ſe vertit ad ipſum,
Et greſſu ad thalamum illius contendit anili:
Qui laudes Superûm Regi & divina legebat. 545
Ut vero in thalami mentitus limine Daemon
Conſtitit, & puero caeleſtem aſſiſtere Ioſeph
Cuſtodem vidit minitantem, enſemque coruſcum
Vibrantem, extemplo ſubita formidine captus

Hor-

Horruit, & retro greſſuſque animumque reduxit, 550
Aufugitque celer: nocturnaeque alitis oti
Effigiem capit, & tecto ſe ſiſtit in alto.

HIE-

HIERONYMI FRACASTORII JOSEPH,

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM AMPLISS.

LIBER II.

T MISERA, ut Stygios latices desumsit Iempsar,
Solaque permansit, totis ardere medullis
Visa sibi est, tota in subitum convertier ignem:
Suspiransque gemensque, unum deposcit Ioseph.
Et modo se imponit stratis, paullumque morata 5
Assurgit, modo mutat & hunc, modo mutat & illum,
Fastiditque locum infelix, nec se capit usquam.
Non secus ac solet ille, acris praecordia causus
Cui torret, vel quem dipsas calcata momordit.
Tandem ait, heu quidnam est, quod me tam saeviter urit? 10
Est ne amor, an sumti latices? nempe est amor iste,

Quo

Quo moriar, nisi formosus succurrat Ioseph.
Tu mihi nunc succurre, puer, succurrere namque
Ipsa etiam tibi constituo. moriemur amando
Insontes ambo. Dii tanti criminis haud me 15
Auctorem videant, non haec Aegyptia tellus.
Dum licuit, potuique, tori concordia jura
Servavi, nunc major agit me visque, Deusque,
Imperioque premit. sic sit mihi Numen amicum,
Ut nosco experiorque Deum, quem femina non est 20
Contra stare potens. Deus hic custodiet ambos:
Quin &, suetus amare, teget solatia nostra.
Dixerat, impatiensque morae vocat ocyus Efren,
Unam ex ancillis, dominae quae fida solebat
Ferre vigil mandata, vigil responsa referre. 25
Vade, ait, & puero dic, huc accedat, Ioseph,
Si vacat, & domini si nulla negotia nostri
Impediunt. abit illa cita, & mandata facessit.
Nec longe post jussus adest formosus Ioseph.
Quem solum admissum virgo mutata colore 30
Juxta astare facit: tum corde & voce tremente
Care, inquit, puer, atque oculis mihi gratior ipsis,
Verane tu dominae dices, quaecumque rogabit?
Vera equidem (an fallam dominos?) ait ille, fatebor.
Tu quodvis pete. & illa: Puer, te perdite amare 35
Audio: si verum est, debent me nulla latere,
Nec si ego sim, quam perdite amas, nam (vera fatebor)
Ipsa etiam te perdite amo. tu nec mihi amanti,
Nec tibi ego crudelis ero: da jungere dextram:
Qualis eris, quantoque a me donaberis auro! 40
Sic ait, & summis puero dedit oscula labris.

Ille

Ille pudore rubens, & ſecum mente revolvens,
Quae Divûm Interpres puero mandaverat olim,
Dii ne alieni illum, aut prava, aut injuſta libido
Alliceret, taciteque Deum ſibi adeſse precatus 45
Haec tandem reſponſa dedit: Quod perdite amare
Audis me, domina, illicitum ſi forſan amorem
Audis, non ullam fateor me perdite amare:
Nec ſic ipſe etiam a quoquam peramarier opto,
Praecipue a domina. ſcis rebus me omnibus unum 50
Praefeciſſe ducem, ſecluſa conjuge tantum.
Anne igitur legiſque meae, dominique mei ſim
Proditor? ah Stygias potius detrudar ad umbras,
Eſca vel alitibus, media intumulatus arena,
Mittar: & haec dicens dominam, thalamumque reliquit. 55
Illa autem, ut ſe ſe illuſam, & ſpe funditus omni
Dejectam vidit, tamquam qui fulminis ictu
Percutitur, primum ſtupefacta immotaque paullum
Conſtitit, inde imo ducens ſuſpiria corde,
Aſtringenſque manus, ſe ſe reſupina cubili 60
Stravit inops animi, deſertaque ſanguine pallens.
At malus haec ſummo tecti de culmine Daemon
Aſpiciens, ave depoſita, convertit anum ſe
Rurſus in Iphiclen, miſeramque reviſit Iempſar,
Atque ait, o, quinam caſus te, nata, malignus 65
Inſequitur? quid cor cecidit? quid pallor in ore eſt?
Ah ne animis cade, ne te ipſam deſere, nata.
En praeſto tibi ſum nutrix tua, pone timorem.
Reſpice me. audito nutricis nomine paullum
Erexit ſe ſe in cubitum, tum lumina torquens, 70

O nu-

O nutrix, quondam nutrix, nunc dira noverca,
Occidisti, inquit, miseram me, nec puer ille
Perdite amat, nec se (quod longe est pejus) amari
Sustinet, aut ullis precibus donisve movetur.
Projeci memet, genus, & decus omne pudore 75
Foedavi amisso, fractae spes, foedera rupi
Conjugii: tu causa mali, tu criminis hujus
Principium. quid restat ad haec, nisi caetera ferro
Conficere, & meritam hanc animam demittere ad
Orcum?
Cui dictis falsa Iphicle respondet amaris: 80
Heu, mulier rerum ignara, & male conscia amorum,
Quid mirum, puer insuetus plenusque pudore,
Ceu virgo intacta, ad primos si expavit amoris
Aggressus, de te dubius, metuensque pericli?
Non ita res tractanda fuit, nec tu tamen omnem 85
Spem depone, rudem puerum nam rursus adibo,
Arguam, & ignarum, quae sint facienda, docebo.
Tu tantum triduo exspecta, lux quarta benignum
Sidus habet, miseros sidus quod spectat amantes
Conjungitque. sub hoc Hymenaeus sidere primum 90
Natus, & ipse puer Venere enitente Cupido.
His dictis se se paullum solatur Iempsar,
Erexitque cadentem animum. meliora ferant Dii,
Vade, ait; interea sacras venerabimur aras,
Fundemusque preces, & amica vocabimus astra. 95
Ergo, ubi luce nova rutilum Sol aureus orbem
Implevit, visura Deos se se ornat Iempsar,
Pulchra auro, spectanda ostro, spectanda pyropo,
Sed forma spectanda magis, proprioque decore.

Quam

Quam matrum numerosa cohors comitatur euntem, 100
Nec non & famulis praeses formosus Ioseph
Lumina dejectus, dominaeque suique misertus
It comes. ipse tamen sanctas procedere ad aras
Patronam putat, ut commissi criminis oret
Exposcatque Deos veniam, & deponat amorem. 105
Contra autem illa rogat Divosque & sidera cuncta,
Ut faveant votis, & sint in amore secundi.
Haec eadem celebrat demens & luce sequenti,
Atque alia, donisque etiam majoribus aras
Accumulans, pecudum fibras rimatur & exta. 110
Verum, ubi quarta dies rediit, Solque igneus orbi
Illuxit, lux sancta, inquit, lux optima, salve,
Sidera vos, salvete, quibus conjungere amantes
Est amor, & sobolem mundo servare perennem.
Tum puerum acciri carum jubet. ocyus ille 115
Nil metuens, & jam dominae securus amorum
Advenit. illa itidem sperans fore prospera cuncta,
Nutricis decepta dolis, ut vidit amatum
In manibus puerum, meus es, meus, inquit, & ipsa
Sum tua: quid prohibet, ne nos jungamur amantes? 120
Iste torus communis erit: ne gaudia differ,
Neu sortem contemne tuam. tum pallia captat,
Et trahit ad se se puerum. stupet ille pudorem
In domina amissum, tandemque his vocibus infit:
Qui furor, aut quaenam mala mens, olim inclyta conjux
Fetifari, nunc haec adigit te talia posse
Moliri? certe Eumenidum nunc te una sororum
Exagitat, nam (quam reris) non est tua nutrix
Iphicle, sed de Stygiis emissa tenebris

Dira-

Dirarum una, dolis quae te decepit & aſtu 130
Illa eadem me aggreſſa malis conatibus auſa eſt,
Sed vetuit tentare Deus. vidi ipſe retrorſum
Cedentem, & formam mentitam, & fumida novi
Sulphura, nidoremque atrum poſt terga relictum.
Talia dictabat puer. at poſt oſtia Daemon 135
Qui ſtabat, clauſos magno conamine poſtes
Impulit, intravitque ferox, & lumine torvus
Tartaream effudit vocem, qua terruit omnes.
En ego mentita Iphicle, en ego ſum una ſororum
Eumenidum, una e Stygiis emiſſa tenebris? 140
Nunc faxo, experiare. ſinuque cita eripit anguem
Peſtiferum, qui ſecreta ſub veſte latebat,
In puerumque jacit. Cuſtos caeleſtis at illum
Reppulit, atque omnes conatus fecit inanes.
At coluber, ſibi ut in puerum ſublata poteſtas, 145
In miſeram inſidias omnes molitur Iempſar,
Perque ſolum tacite repens, ventremque retorquens
Lubricus, in veſtem inſinuans ſe illabitur: inde
Interiora petens & viſcera cuncta pererrans,
Tartareum virus jaculatur ad intima cordis. 150
His monſtris puer interea pavefactus, amictus
Immemor aufugit, ſeque in ſua tecta recepit.
Quem virgo ut fugiſſe videt, utque acre venenum
Senſit, in inſanum ſubito converſa furorem,
Clamorem immenſum tollit, quo ipſa atria, & omnis 155
Intremuit domus, & timuit vicinia tota.
Non ſecus, ac ſi Vulcanus penetralia cuncta
Involvat, caeloque furens incendia jactet.
Currite io, matres, ſcelus atque audite nefandum

Man-

Mancipii Hebraei, qui nunc, proh Iupiter, ausus 160
Fetifari est magni sacrum violare cubile,
Vimque inferre mihi, nisi nutrix tempore in ipso
Promta tulisset opem, & sceleratum veste relicta
Ejecisset. io fugitivum apprehendite, servi,
Ite citi, properate, viarum claudite cuncta 165
Effugia, & domini scelus hoc afferte sub aures.
Talia vociferans misera effundebat Iempsar.
Omnia quae falsa Iphicle confirmat, & auget,
Dignum morte fore, hoc sceleris qui admittere tantum
Audeat; exacuitque animos. clam deinde recedit 170
Nulli visa, & avi similis se immiscuit atris
Nubibus, & Stygias sedes atque impia Ditis
Regna petit, laetoque refert crudelia facta.
Interea miser a servis comprehensus Ioseph
Ducitur, & nemo est, qui dicere multa volentem 175
Auscultare velit miserum, non Fetifar ipse,
Quem jam res audita acri compleverat ira:
Non tamen ut morti damnet, sed turre sub ima,
Carceris esse locus miseris ubi sueverat, illum
Intrudi jubet, & vigili custode teneri, 180
Tantum olyra vili, limoso & flumine pasci.
At juveni caelestis erat custodia major
Aliger aetherius, summo qui missus ab axe
Carceris intrarat portas, ubi proxima terras
Nox omnes caecis tenebris obduxit & umbra: 185
Ergo alias puero notus, solatur amico
Ore illum, firmatque animum, tollitque timorem
Luce nova, excussa noctisque & carceris umbra.
Omnia quae postquam custos Aegyptius alta

Prospexit de turre, Deus, Deus, inquit, in illa 190
Luce viget, nosco splendorem & verba notavi:
Nec Deus est illic, nisi & hujus criminis insons
Est puer. insontem servabit Jupiter aequus.
Ex illo custos juvenem veneratur Ioseph,
Et pascit meliore cibo, quam dura jubebant 195
Fetifari mandata, & duri carceris omne
Tollit onus, ferrumque pedum, visitque frequenter,
Solaturque, & saepe in caelum educit apertum.
Jamque quater binos Phoebe compleverat orbes,
Quum duo, quorum alter pincerna Pharaonis, alter 200
Pistor erat Regis, prae suspicione veneni
In Cerere inventi, conclusi carcere eodem
Cum puero Isacide fuerant. hi tempore parvo
Post, utrique una viderunt somnia nocte,
Somnia, quae mox mane novo dum mutua versant, 205
Ignari, quid portendant monstrentve futurum,
Sollicitis nutant animis. quod pulcher Ioseph
Conspiciens, Quidnam, juvenes, tam pectore tristes
Vos hoc Sole novo video? Nos somnia facta
Nocte hac sollicitos reddunt, quae exponere, nemo est,
Qui sciat hic, dixere: quibus sic pulcher Ioseph:
Somnia vos narrate, Deus dignoscere forsan
Illa dabit. Dicemus, ait, pincerna, priorque
Ipse edam. nam Vitis erat pulcherrima ternis
Laeta propaginibus, gemmas turgescere primum 215
Palmitibus, mox & flores exire videbam,
Post flores gravidis uvas pendere racemis:
Quos jam maturos manibus premere ipse videbar,
Vinaque diffundens pateris spumantia plenis

Regi

Regi larga dabam, ſolito Rex more bibebat. 220
Cui puer interpres: Quidnam tua ſomnia monſtrent,
Expediam. vitam illa tuam pulcherrima Vitis
Oſtendit: gemmae, flores, uvaeque ſecutae,
Sunt fructus, quos tu peperiſti temporis hujus
Curriculo: dabitur merces, & honoribus ipſe 225
Reſtituêre tuis, & priſtina pocula Regi
Conſueto de more dabis: terna illa propago
Tres luces, quibus haec veniant tibi proſpera, monſtrat.
Tu vero, quum te carum gratumque Pharaon
Accipiet, noſtri (ſi qua hujus gratia facti eſt) 230
Sis memor, immeritumque iſto dic carcere claudi.
Tum piſtor ſimulac vidit dicta omnia recte
Congruere, ipſe etiam, dixit, mea ſomnia pandam.
Nam capiti impoſita ipſe meo tria plena caniſtra
Spectabam, duo farinae inferiora, ſupremum 235
Omni opere plenum, omni illo piſtoria quod ſcit
Ars facere, & noſtrum ingenium, ſed cuncta volucres
Exeſſe, & ſecum latas deferre per auras.
Cui bonus interpres: Divûm eſt noviſse futura,
Falli hominum eſt. dicam, quidnam tamen augurer ipſe
His ſuper. illa, quibus vidiſti plena caniſtra,
Sunt opera & vitæ fructus: duo prima, ubi ſimplex
Farina eſt, vitae monſtrant duo tempora prima,
In quibus & ſimplex vita & ſincera peracta eſt:
Summum opere infido plenum eſt, & fraude, doliſque
Omnibus, ingenium quae, aut ars piſtoris iniqui
Extudiſſe valet, quae ſunt jam cognita Regi.
At merces horum meritorum & praemia, foedae

Sunt volucres, corvi immundi, milvique rapaces.
Vulturiique, caput qui effossaque lumina pascent 250
In cruce suspenso: tribus haec ventura diebus
Terna canistra notant: tamen haec me fallere possunt,
Si tu animo possis mutari, nam & Deus ipse
Saepe solet mutare mala & convertere fata.
Talia tractabant juvenes. & tertia jam lux 255
Orbi invecta aderat, quum custos carcere aperto
Pincernam insontem, noxa poenaque solutum
Declarat, miserum Regis decreta severi
Pistorem damnare cruci. de carcere uterque
Ducitur haud aequa sorte, & longe impare fato. 260
Hic ad tigna, ille ad Regem stipatus ovantum
Et laetus clamore virûm, & clangore tubarum.
Vertitur interea ter Solis cursus in alta
Solstitia, atque novum mundo portaverat annum:
Forteque Rex dulcem prona jam nocte quietem 265
Ducebat, Deus ex alto quum somnia in illum
Immisit, miranda adeo, ut cedente sopore
Attonitus Rex magnum aliquid portendere visa
Crederet. ergo omnes jubet e regione vocari
Chaldaea, Aegyptoque, quibus cognoscere cursus 270
Metirique vias caeli, & momenta minuta
Astrorum, casusque hominum, & praenosse futura est
Cura audax, nec non magicis qui incumbere sacris
Consuevere, & qui ex adytis oracula Divûm
Consulere, & caesarum oviumque boumque per exta
Rimari secreta solent, qui noscere flammae,
Qui fluitantis aquae motus, qui jungere arenae
Fatalem numerum, & cognoscere fulminis iras,

Qui-

Quique vias ſervare avium, & dignoſcere cantus,
Denique, divini rerum quicumque vocantur. 280
Quorum ingens numerus magni plena atria Regis
Intrarant, alii longis capita alta tiaris
Induti, aſt alii ſpectandi cornibus hirtis,
Auratis alii ſtrophiis: longiſſima mento
Cunctis pendet barba, ipſo ſtat pallor in ore. 285
Quos ſimulac ad ſe Rex alta a ſede vocavit,
Somnia viſa docet primum, dein munera larga
Promittit, largoſque illis proponit honores,
Somni qui interpres fuerit: noctemque diemque
Reſponſo tempus ſtatuit. ſed noxque dieſque 290
Venerat, & nemo apparet, qui ſomnia Regi
Enodare queat, nulli ſua ſidera, nulli
Ars magica, aut quaeſita aris oracula proſunt:
Non artes aliae, non barbae, altaeque tiarae.
Ergo hinc iraſci, & triſtis moerere Pharaon, 295
Nec quemquam audire, ac ſolo in conclave latere.
Hic Regis pincerna, memor, quae in carcere Joſeph
Fecit, & ipſorum quam verus ſomnia vates
Expoſuit, ſubito Regem petit, atque ita fatur:
Peccavi, Rex magne, tibi, quae in carcere vidi, 300
Non referens. nam ſcis, ut mecum piſtor iniquus
Carcere damnatus fuerit ſub turre magiſtri
Militiae, eunuchi. forte illo carcere eodem
Fetifari puer Hebraeus, puto crimine falſo
Miſsus erat. duo nos (ita ſuaſi) ſomnia quaedam 305
Nocte habita a nobis, juveni narramus. at ille
Divino quodam afflatu viſa omnia nobis
Exponens, mihi, te, dixit, lux tertia ab iſto

Carcere deducet, multis & honoribus auctum
Restituet primo officio: te, pistor inique, 310
Lux eadem in cruce constituet, te immunda volucrum
Agmina depascent, corvi, milvique rapaces,
Vulturiique, nisi ipse animum convertere possis
In melius, sic namque Deus mutatur & ipse.
Omnia quae evenisse vides. tua somnia certe 315
Hic puer exponet, magnum nam Numen in illo est.
Auditis Rex laetus ait, vade ocyus ergo,
Duc puerum, & nostro jussu de carcere solve.
Ille celer mandata facit, puerumque parumper
Ornat, detondetque comas, vestemque ministrat; 320
Tum Regi adducit timidum. Rex omnia lustrat
In puero, sibi cuncta placent, sic denique fatur:
Te, puer, hi dicunt exponere somnia, numquid
Vera ferunt? ast ille: Deus, Rex optime, solus
Somnia nosse potest, & sicui maximus ille 325
Hoc dederit. potero ipse meo pro Rege precari
Atque orare Deum: forsan dabit, omnia quando,
Quae Regum sunt, ipse solet curare Deûm Rex
Atque hominum. dein paullum animoque & mente moratus,
Nunc inquit, Rex magne, mihi tua somnia pande. 330
Fluminis ad ripas Nili stare ipse videbar,
Rex ait, & septem ecce boves e flumine pulchrae
Exire, & late errantes per litora pasci
Florentes herbas, loton, medamque virentem,
Et suavem mynianta, quibus pinguescere, quantum 335
Plena solet, sacras quae ducitur hostia ad aras.
Vix oculos verti, ecce aliae per litora septem

Defor-

Deformes, aegraeque, quibus vix pellis adhaeret
Ossibus, apparere boves, quae carice summa
Vix pastae & dura paliuro & sentibus hirtis 340
Corpora macra, suis nervis vix ducta, trahebant.
Obstupui. nam dira fames atque ardor edendi
Improbus exegit tantum has, ut pinguia septem
Corpora prima boum congressae tota vorarent.
Mox iterum dulcis me habuit sopor alter, & ecce 345
Rursus septem uno spicae consurgere culmo,
Pulchraeque gravidaeque & onustae pondere multo.
Mox septem prodire aliae tenuesque & inanes
Exili e stipula, scabraque urigine tostae,
Quae succum & decus omne aliarum absumere visae
Sunt mihi. miratus, postquam sopor ille recessit,
Somnia proposui multis, sed dicere nemo
Scit sensum & portenta horum: te si manet ista
Gloria, si te unum e tantis haec somnia poscunt,
Toto animo laetare, puer: te fama sequetur 355
Perpetua, & tantis a me ditabere donis,
Ut te non videat majorem Aegyptia tellus.
Cui juvenis: Rex magne, Deus te diligit, ipse est,
Somnia qui immisit, nec, quae illa intelligat, esse ars
Ulla potest, quae auctore Deo non utitur: unde 360
Nec vates potuere tui, quibus omnibus est ars
Absque Deo. Primum septem felicibus annis
Largius undantem solito, majoreque Nilum
Flumine rumpentem ripas, secumque trahentem
Felicem limum, foecundaeque aequora arenae 365
Fortunata nimis tellus Aegyptia cernet.
His annis tantum messis, tantum uberis illa

Colliget, ut non ſufficiant ſolita horrea meſſi.
Ubertatem iſtam pingues nimiumque nitentes
Monſtravere boves ſeptem, quae e flumine Nili 370
Exivere, herbas pingues per litora paſtae.
Hanc etiam & ſpicae ſeptem, quas pondere onuſtas
Laetaſque plenaſque uno conſurgere culmo
Vidiſti, pariter monſtrant: nam ſomnia viſa
Non duo re, ſed idem oſtendunt. nunc porrige mentem,
Optime Rex: nam ſeptem annos, qui deinde ſequentur
Infelix ſteriles duroſque Aegyptus habebit.
Ipſe intra ripas demiſso flumine Nilus
Curret iners, ſupraque caput limumque feracem
Non tollet: ſicca arebunt arva omnia, ſicca 380
Solſtitia, & nulli deſcendent montibus amnes
Conſueti pluviarum amnes ſub ſidere Cancri:
Aethiopum populis nec hiems aeſtiva redibit.
Agricola infelix nullo verſabit aratro
Arva, nec arenti mandabit ſemina terrae, 385
Sed miſeros edet annona cogente juvencos.
Haec ſeptem docuere boves per litora ſiccae,
Deformes, macraeque, quibus vix oſſibus haerens
Pellis erat. haec ſeptem illae rubigine toſtae,
Squallenteſque ſitu ſpicae, & ſine pondere turpes 390
Oſtendunt: duplici exemplo te commonet ipſe;
Qui novit ventura, Deus, quo tu quoque ſolers
Commoveare magis, damnoque occurrere poſſis.
Quod facere ut valeas, ſi me fortaſse requiris,
Sic habeas. majora para primum horrea, & omne, 395
Quod ſuperat ſegetum his ſeptem felicibus annis,
Coge illic, ſervaque vigil: dein multa talenta
Auri-

Aurique, argentique in fruges undique emendas
Impende, annorum quantum penuria ſeptem
Expoſcet ventura fami, campiſque ſerendis. 400
Talia narrabat juvenis, quae ſingula mente
Rex volvit tacita. tandem & ſic voce profatur:
Hoc certe Deus in puero, nec talia dici
Abſque Deo potuere, nec illi Aegyptia tellus
Aut Chaldaea videt ſimilem. tum amplectitur illum 405
Laetitia illacrimans. poſt me tota iſta ſecundum
Te aſpiciet regio, ſervatoremque vocabit.
Sic ait, & chlamydem gemmis oſtroque nitentem
Ferre dat, atque auri torquem circumdare collo.
Mos erat, ut gemma caelata, inſignis & auro 410
Annulus, antiquo regum de more vocatus
Regius, a nullo, niſi Rege Pharaone, poſſet
Geſtari, aut ſiquis foret ipſo ab Rege ſecundus:
Hunc ſibi Rex digito detractum imponit Ioſeph,
Quo populus poſt regem illum ſciat eſſe ſecundum. 415
Praeterea, qua ſe ſolennibus ipſe diebus
Invectum mula populis urbique ſolebat
Ceu quemdam monſtrare Deum, ſic mandat & ipſum
Urbe vehi, mulaque eadem procedere Ioſeph,
Praeclamante tuba, Regi inclinate ſecundo 420
Quiſque caput, ſanctoque novos conſpergite flores
Servatori hominum, ſolus qui ſomnia Regis
Expoſuit, qui plena Deo praecordia geſtat.
Talibus ornatus donis, & honoribus auctus
Iſacides juvenis, cuncto acclamante ſenatu, 425
Praeficitur toti Aegypto. Qui ſedulus omni
Ingenio curaque in primis horrea ubique

Magna

Magna parat, mox frugum ingentibus undique acervis
Collectis, partim terra Memphitide natis,
Partim emtis aliunde implet, ſtipatque, nec ullum 430
Dat rebus ſpatium: regionem luſtrat, equorum
Imminuit numerum, atque hominum: Dii cuncta ſecundant.

Urbs erat Helipolis, Solis de nomine dicta,
Cujus Rex, idem & templi Phoebique ſacerdos
Supremus natam formae & virtutis habebat 435
Inſignis, quam ſaepe Deus conſultus Apollo
Dixerat haud ulli indigenae thalamo eſſe locandam:
Conjugium externum fato majore parari,
Quo genus, & clari tollantur in aſtra nepotes.
Ergo iſtaec juvenem monſtrare oracula Ioſeph 440
Cenſet & antiſtes templi, & Rex ipſe Pharaon.
Quo circa, quum jam ſeptem felicibus annis
Aegypto in tota ubertas, atque omnia ubique
Laeta forent, placuit Regi dignis hymenaeis
Et thalamo Iſacidem juvenem ſociare jugali; 445
Laetitiamque augere, dieſque inducere feſtos.
Ergo haec per ludos & per convivia laeta
Dum fiunt ſeptem foecundi meſſibus anni
Jam finem, ubertaſque, omnis jam copia habebat.
Jamque pererratis Geminis per ſidera Cancri 450
Sol altos agitabat equos, Aegyptia quum gens
Miratur Nili nulla incrementa videri,
Sed purum & nulla permiſtum flumen arena
Ipſum inter ripas triſti procedere curſu.
Jam tellus foecunda prius, nunc aret, hiatque 455
Uſta ſiti, nec ſpes Cereris promittitur ulla.

Semi-

Semina ſi qua etiam laetis ſparguntur in arvis,
Aut nullos edunt foetus, aut protinus omne
Enatum foedae vitio rubiginis aret,
Aut abit in lolium infelix, fluidumve papaver. 460
Vivitur ex annis lapſis, retroque coacto
Foenore, quod primo ſterili vix ſufficit anno.
Verum, ubi dira fames homines ſe vertere ad herbas,
Et pecus immeritum, atque immunda animalia adegit,
Regem urbes & rura adeunt, ſubſidia poſcunt. 465
Rex ad Praefectum cunctos dimittit Ioſeph,
Servatorem hominum. populis hinc horrea aperta,
Et juſtum indictum pretium: gaza undique & omnes
Congeſtae portantur opes: aeraria Regis
Complentur: nec adhuc quartus ſe verterat annus. 470
Quid facerent miſerae gentes? ſola arva ſuperſunt,
Quae vendant, ſi emtorem habeant, nam ſolus Ioſeph
Eſſe poteſt pro Rege emtor. ergo ille rogatur,
Arva emat, & miſeris det opem, nec pacta recuſet.
Reddituum cujuſque agri quintam dare Regi 475
Promittunt, ſic pacta ineunt, ſic foedera firmant.
Interea, externas quoniam penuria terras
Haec eadem affligit, populos it fama per omnes,
Aegyptum ſat frumenti, quod vendat, habere.
Ergo & Sichenus natos affatur Iacob: 480
Cur non Aegyptum, nati, cur regna beata
Non petitis, cur non nobis alimenta paratis?
Num perimat nos iſta fames? mandata capeſsunt
Natorum deni: fratrum natu ultimus aſtat.
Ut vero Aegyptum petiere, & Oſyrida terram 485
Frumentis praefectum adeunt, & ſupplice cultu

Aere

Aere dato frumenta rogant. cognovit Ioſeph
Germanos, ſtatuente Deo, non cognitus illis.
Praeteritique memor, quamvis injuria multum
Facta poteſt, tamen & patris, fratriſque miſertus 490
Beniamin, his etiam parcit, tum fatur ad illos:
Unde, & quinam hominum ad noſtras acceditis oras?
Illi autem: e terra Canaam, de ſanguine Jacob
Venimus huc cogente fame, quae plurima perdit
Samariam. domus eſt nobis pleniſſima, primus 495
Eſt pater, undeni nati, parvique nepotes,
Paſtorumque manus, vernarum eſt plurima turma.
Venimus ergo ad te, nobis alimenta rogantes,
Ne pereat gens tanta: tibi juſta aera dabuntur.
Nec nos immemores erimus. pater optimus urbem 500
Ipſe regit Sichen, paſtor, cui millia multa
Sunt pecudum: quovis pretio da vivere tantum.
His verbis quamquam frater commotus, & aegre
Abſtinuit lacrimis, ficto tamen omnia vultu
Diſſimulans, quid verba mihi datis, inquit? an ipſe 505
Eludar? niſi me os fallit vultuſque loquentum,
Exploratores puto. cur mandata paterna
Non geritis? cur nec frater huc venit & alter?
Aſt illi: minime. tales ne rere, precamur.
Per patrem patriſque Deum juramus, adire 510
Nos juſſit, nos dira fames: natu ultimus unus
Cum patre Beniamin adoleſcens reſtitit, & ſpes
Solamenque ſenis: nos, qui ſufferre laborem
Poſſumus, atque moras longarum auferre viarum;
Venimus orantes vitam, mandata putantes 515
Nulla opus eſse iſtic ferri: miſerere precantum,

Et

Et miſerere patris, pueri miſerere relicti,
Parvorumque (poteſt pietas ſi in te ulla) nepotum.
Hic lacrimas vix continuit, convertit & ora,
Toto animo & vultu multum commotus Ioſeph. 520
Inde ait: Eſt mihi firma, viri, ſententia menti,
Frater ut huc alius veniat: veſtrûm hic erit unus
Obſes, vos alii ad patrem frumenta feretis
Interea. haud aliter (per Regem & Numina juro)
Ulla poteſt vobis abeundi hinc eſse poteſtas, 525
Neu faciem ſpectare meam, aut audire loquentem.
Conſulite, & ternis dentur reſponſa diebus.
Sic ait, & cuſtode dato victuque remittit.
Illi, inter ſe ſe poſtquam diverſa locuti
Viderunt Praefecti animum, praeſtare putarunt 530
Ferri multa domum frumenta, loco obſidis unum
Dimitti, properare alios, iterumque reverti
Emtum alias fruges, alium & conducere fratrem.
Ergo nominibus ſcriptis ſors ducitur, obſes
Extrahitur Simeon. & jam lux tertia mundo 535
Clara aderat, reſponſa petit Praefectus, at ipſi
Enarrant decreta. igitur frumenta parari
Imperat accepto pretio: clam deinde miniſtros
Admonet, ut ſummis ſaccis aera omnia ponant,
Quod fuerit cujuſque, datum: cuſtodibus obſes 540
Traditur: at fratres oneratis tergora aſellis
Aegyptum, & multo fratrem moerore relinquunt,
Samariamque petunt: quo poſtquam denique ventum eſt,
Atque unum pater e natis ſibi vidit abeſse,
Clamat, ubi Simeon meus eſt? cur cernere natum 545
Non datur? eſt ne aeger? minime, pater, inquit Iudas,

Sed

Sed valet, Aegypti eſt obſes tellure relictus,
Dum rurſus redeamus, & hinc ducamus & iſtum
Beniamin. nam qui frumentum vendidit, ut nos
Vidit vir magnus, & ab ipſo Rege ſecundus, 550
Quaeſivit multa a nobis, numquid pater eſset,
An frater nobis alius: quae quum omnia recte
Dixemus, vos has certe veniſtis ad oras
Exploratores, inquit, mandata paterna
Cur non huc geritis? cur non alium quoque fratrem 555
Huc duxiſtis? ad haec reſpondimus omnia. tandem
Summa fuit frumenta dari, nos deinde reverti,
Adduci puerum, interea obſes detur, & unus
E nobis maneat: per Regem & Numina Caeli
Juro, inquit, nec vos aliter frumenta feretis 560
Poſthac, nec me audire umquam aut ſpectare licebit.
At pater, haec poſtquam audivit, proh ſumme Deûm Rex,
Eſtne adeo infelix alius pater? occidit unus
Natorum, obſes & eſt alius, ſubducitur alter
Cum reliquis, ſimul ut cuncti moriantur, & ipſe 565
Exſpectem, ferat haec noſtras crudelis ad aures
Nuncius: o prius hanc miſeram, Dii, demite vitam.
Talia fundebat lacrimans. circum undique nati
Solantur, tam adverſa bonos non Numina habere.
Mox, ubi depoſitis ſolverunt vincula ſaccis, 570
In ſummis aes omne datum pretiumque repoſtum
Inveniunt: ſtupuere omnes, ſed triſtis Iacob
Hoc deerat, nati, hoc, inquit, quod funditus omnem
Spem raperet. nam ſi vobis Aegyptia ad arva
Sit reditus, qui vos primum vir maximus ille 575

Explo-

Exploratores dixit, nunc nomina furum
Imponet, cauſſam inquirens, qua perdere poſſit.
Nempe ego Beniamin puerum, ſpem patris, & unum
Solamen, non huic tradam fidamque periclo.
Vos alii, ſi fata urgent, Divûmque voluntas, 580
Ite, rei fidei promiſſae: ego, quidquid apud me eſt
Aurique argentique dabo, quo vos redimatis
Et fratrem, &, ſi ſors aderit, frumenta feratis.
Quem contra illacrimans juvenis ſic fatur Iudas:
Care pater, nos primum audi, dein conſule nobis, 585
Atque tibi. nam quo pacto continget adire
Illum hominem, qui juravit, per regia ſceptra,
Per Superos, niſi Beniamin duxerimus ipſum,
Ille quidem nec nos, nec, qui eſt in carcere, fratrem
Dimittet, faciemve ejus ſpectare licebit? 590
Verum, ut de nobis ſint dura & triſtia quaeque,
Vos miſeri quonam pacto vivetis, & unde
Tanta domus? capiti, quaeſo, pater optime, tandem
Fide meo, puer iſte omnes ſervabit, & ipſum
Te patrem. mihi praeterea duo pignora cara 595
Sunt, nati, tu illos (concedo) interfice, ſiquid
Adverſi puero eveniat: depone timorem,
Atque omnem defende domum. quod pondera ſaccis
Sint aeris poſita in noſtris, juſſiſſe miniſtris
Id dominum certum eſt, incertum, fraude dolove 600
An pietate magis. nos certe audivimus illum
Inſignem virtute omni, nos vidimus illum
Nobiſcum fleviſse famem atque incommoda noſtra,
Dum teque, & parvum fratrem, parvoſque nepotes
Commemoramus. age, o genitor, ne tempora differ, 605

Neu

Neu plures innecte moras. & talia dicens
Adjecit lacrimas. victus pater, Ibitis ergo,
Tandem ait, & puerum, & regionis dona feretis,
Stactenque, & lacrimas terebinthi, & roſcida mella,
Et gummi, & liquidam ſtyracen, & amygdala amara.
Inſuper & duplex pretium portabitis, & quod
Inventum fuit in ſaccis, & quod data poſcent
Frumenta. interea faciemus ſacra parentum
Noſtrorum noſtrique Deo, quo cuncta ſecundus
Dirigat, & ſervos caelo proſpectet ab alto. 615
Poſtera Phoebeos currus Aurora vehebat,
Quum pater & nati ſacris de more peractis
Cuncta viae opportuna parant, & munera & ipſum
Beniamin: quem jam genitor complexus euntem,
Et lacrimans, I, care puer, felicibus, inquit, 620
Auſpiciis: ſi te rediturum fata reſervant,
Vitam oro. lacrimae vetuerunt dicere plura.
Tum ſimul & reliquos natos complectitur omnes,
Commendatque Deo. aſt illi bona verba precati
Durum iter & longum capiunt, campoſque relinquunt
Samariae, Solymenque ſacram: jam conſita Idumes
Praetereunt palmeta, Gerar, & Tartara vaſta
Syrbotis, tandemque vident Aegyptia regna,
Optatamque petunt Memphim. quos laetus Ioſeph
Suſcipit: atque una fratrem de carcere ſolvit. 630
Ut vero admiſſis coram data copia fandi,
Sic Ruben: Hinc poſtquam diſceſſimus, optime Princeps,
Venimus ad genitorem, illi tua maxima juſſa
Narramus, fratrem duci te velle minorem
Beniamin huc iſtum: tum ſaccis ordine apertis, 635

Res

Res mira, in ſummis pretium atque aes omne, quod ante
Exhibitum fuerat, ſe offert: quis miſerit, & cur,
Ignotum eſt, Deus eſt teſtis. verum, ut pater iſtaec
Audivit, viditque, imo ſuſpiria corde
Traxit, & heu, nati, dixit, male Numen amicum 640
Nos aliquod nunc inſequitur, Fortuna receſſit
Illa bona. e bis ſex natis amiſimus unum:
In vinclis alius longinquis exſulat oris:
Nunc ſpes & miſerae ſolamen dulce ſenectae,
Beniamin abduci petitur: vos rurſus abitis, 645
Neſcio quo, & vereor, furum ne nomine eatis,
Omnes ut tandem fato pereatis ab uno.
Nos contra miſerum ſolari. fide parentum
Noſtro & fide Deo, genitor: juſtiſſimus ille,
Ille vir eſt, regio quem tota Aegyptia dicit 650
Servatorem hominum, ſanctumque piumque fatetur,
Et colit: hinc nihil adverſum durumque timendum eſt.
His victus ceſſit tandem. Vos ibitis ergo,
Et ducetis, ait, puerum, atque haec parva feretis
Munera, quae regio fert haec, ſtacten, & terebinthi 655
Reſinam, & liquidam ſtyracen, & amygdala amara,
Mellaque: dein duplex pretium portabitis, & quod
Impoſitum fuerat ſaccis, & quod data poſcent
Frumenta: & demum juſto natumque patremque
Commendate illi, pueri miſereſcat & hujus, 660
Atque ſenis natos nimium miſereſcat amantis.
Talia dictabat juvenis, quum lumina Princeps
Vix lacrimis cohibens tali eſt ſic ore locutus:
Eſte bonis animis, juvenes, ego munera grata
Accipio regionis, & hunc, qui adductus ab omni 665

Suſpicione puer vos, omni a fraude piabit.
Ite, & feſſa via, foeda & ſudore lavate
Membra, viri; mox luce bona diſcumbite mecum.
Haec Princeps. famulorum alii in conclave lavacrum,
Vaſa alii menſaſque parant. haec inter Ioſeph 670
Multa ſuper regno & populis diſponit alendis.
Dein redit ad fratres, magnamque educit in aulam,
Regales ubi monſtrat opes, vaſa aurea ſignis
Caelata, argentumque abacis, ſtratoſque tapetas,
Necnon parietibus circum pendentia longis 675
Aulaea, intextis auro & bombyce figuris,
Quas dicas ſpirare. illic divina ſecutus
Juſſa Abraham, puerum in ſilvas ducebat Iſaac
Mactandum: puer ilignis onerabat aſellum
Faſcibus, ipſe pyram genitor vittaſque parabat. 680
Ille idem dextram vicina in parte levabat,
Crudelemque enſem: demiſſus lumina Iſaac
Et flexis genibus feriturо colla parenti
Praebebat: caeli demiſſus ab axe vetabat
Nuncius, & dextram ſublatam enſemque tenebat. 685
Parte alia fratrem fugiens tendebat Iacob
In patris antiquas ſedes, cognataque regna,
Euphratem Tygrimque inter: patruelibus inde
Virginibus hauribat aquas: tum paſtor ad undas
Euphratis dum paſcit oves per litora Laban, 690
Rachelem vocat, & dulces decantat amores.
Talia dum laeti ſpectant Iſraële nati,
Spemque aliquam ſibi promittunt, tum magnus Ioſeph,
Jam genio libemus, ait: date flumina palmis,
Vos famuli: tum ſede altus diſcumbit eburna. 695

Morte praeventus, hoc item, quod ſero inceperat, abſolvere non potuit.

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS CARMINUM LIBER.

HIERONYMI FRACASTORII CARMINUM LIBER.

I.

ALCON,

SIVE DE CURA

CANUM VENATICORUM.

ASSIDUIS nuper fessus venatibus Alcon,
Falleret aestivi ut fastidia longa diei,
Corvini qua se nemora excelsissima caelo
Extollunt, viridi dum captat frigus in umbra,
Dicitur ad juvenem senior sic fatus Acastum: 5
Me segnes artus, defectaque viribus aetas,
Et superare juga, & latis discurrere campis,
Et torquere leves hastas, & ferre pharetram,
Nate, vetant, densaque indagine cingere silvas.
Sed te pulvereum cursu transmittere campum, 10
Ferre aestum frigusque, leves agitare Molossos,
Et pinguem silvis ad tecta avertere praedam
Nunc decet, ac validam pro me exercere juventam.

En arcum, pharetramque tibi, jaculumque relinquo:
Ne tamen usque adeo plenae confide pharetrae, 15
Ut postrema canum interea tibi cura putetur:
Quorum ope veloces poteris praevertere cervos,
Aut aprum ingentem, aut fulvum superare leonem.
Ergo age, & haec tecum semper mandata reserva.
Principio ut generosa canum tibi copia numquam 20
Desit, quae certam valeat promittere praedam,
Elige degeneri nequaquam semine natos,
Sed quos assidue silvis exercuit altis
Et labor indomitus, saevarum & praeda ferarum.
Nec vero parvi formamque genusque putaris: 25
Nam neque sunt animi, neque mores omnibus iidem,
Et variae diversa canum dant semina gentes.
Nam rabidas si forte feras te cura tenebit
Venari, & variis caput objectare periclis,
Spartana de stirpe tibi, de stirpe Molossa 30
Quaere canes, Libycos illis, acresque Britannos,
Pannoniosque truces, & amantes praelia Celtas
Adde, nec Hircanos, nec Seras sperne feroces.
Si vero parvos lepores, capreasque fugaces
Malueris, timidosque sequi per devia cervos; 35
Delige Paeonios agiles, volucresque Sicambros.
Quod tibi si latebras, abstrusaque lustra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi est,
Hunc usum implebit Perses, & Saxogelonus.
At genere ex omni praesertim delige quae nec 40
Corpore sit gracili, nec densis aspera villis,
Sed sublime caput, vivacia lumina, & amplam
Ostentet frontem, atque ingentes oris hiatus:

Cui

Cui rectae ſurgant aures, cui pinguia terga
Dividat in caudam deſcendens ſpina reflexam: 45
Sint armi lati, ſint aeque pectora lata:
Lata alvus, quae ſic coſtis adjungitur imis,
Ut tamen in ſpatium ſenſim ſe colligat arctum:
Ut cava diductis ſuccedant ilia coſtis,
Excipiant ſiccis quas fortia crura lacertis, 50
Ima pedum parva ſignent veſtigia planta.
Huic ſimilem conjunge marem, quum vere tepenti
Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarum.
Bis quinos tamen ante dies accenſus uterque
In venerem, venere abſtineant: ſic plena libido 55
Acrius exſtimulat, vireſque ad ſemina praebet.
Hinc major ſoboles, atque inde valentior exit.
Quae ſimulac ſe ſe numeroſo protulit ortu,
Selige de multis quos jam praeſtare videbis
Pondere: vel ſtipulae flammis include ſonoris 60
Ingentem turbam: prolis nam mota periclo
Egregiam ſobolem, melioraque pignora mater
Ocyus eripiet flammis, & inertia linquet.
Illi igitur plenis ubi nondum viribus aetas
Acceſſit, parvum curſu conſcendere collem, 65
Et molli aſſueſcant ſe ſe demittere clivo.
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, & facilem percurrere campum
Incipiat, verbiſque viri parere vocantis.
Nulla mora eſt, ipſis creſcant cum viribus anni, 70
Jam potes hos tuto denſis committere ſilvis:
Perque altos montes, per luſtra agitare ferarum:
Nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni.

Si modo vel capreas, vel dedignabere cervos:
Immodicis tum parce cibis, tum curſibus illos 75
Exerce aſſiduis: ac mox ad tecta reverti,
Vincla pati diſcant: ita demum libera colla,
Quum res ipſa, uſuſque vocat, majore feruntur
Impete, nec curſum remoratur pigra ſagina.
Hactenus in ſilvis catulos eduximus altis: 80
Nunc quae morboſis ſit cura adhibenda, docebo.
Inſomnes quum forte canes occulta fatigat,
Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte levi: dein Bacchica dona roſarum
Miſce oleo, & rapidis ſimul omnia concoque flammis, 85
Terque die inſerto demitte in guttura cornu.
Si vero nimio venandi langueat aeſtu,
Butyro lapathi ſuccos, Siculique Lyaei
Pocula, contuſumque piper ſimul omnia miſcens
Proſubige: ut certi ſimulac commixta liquoris 90
Praetulerint ſpeciem, cupido canis hauriat ore.
Immodicam ſed forte ſitim dum ſublevat atro
Fonte canis, lymphae mala ſi ſucceſſit hirudo,
Cimiceo ſuffire canem nidore licebit:
Aut oleo ptiſanam & ſpumanti melle ſubactam 95
Incoquere, offenſoque cani praebere vorandam.
Aut quum tetra lues (clavos dixere) palatum
Afficiet miſere, ſilveſtria ſeſama, nec non
Bacchi acidos latices, & chartam ſume peruſtam,
Atque Ammoniaci fruſtum: dein ſingula in unum 100
Confundens, tetrae cauſſam ſuperilline peſtis.
Tum vero, ardentes oculos inimica perurit
Quum tabes, crebraeque fluunt a lumine guttae,

Jam

Jam frondes ſacrae myrti, ſilveſtris & uvae,
Arenteſque roſas diluto concoque Baccho, 105
Hiſque affecta levi citus ablue lumina dextra.
Inde oleum, atque ovi niveos immitte liquores.
Quod ſi nativo ſtimulatur coxa dolore,
Lemiulum lapidem (Meditem nomine dicunt)
Urina ſemel atque iterum demerge recenti: 110
Cui Bacchi dulces, acidoſque adjunge liquores,
Quaque latet peſtis ſumta circumline penna.
Aſt ubi rupta novo manabit ſanguine vena,
Tum murem geminum, ac telam pendentis Arachnes
Ure foco, cineremque undanti impone cruori: 115
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obſtructo vero lotii quum forte meatu
Vexari aſpicies catulum, Cerealia dona
Objice lacte prius ſimae perfuſa capellae.
At contra venis ſi quando ſanguis apertis, 120
Pro facili urina, terram madefecerit atram,
Conveniet lente ferventi lactis aheno
Mollire, & tenues coriandri immittere ſuccos,
Infractumque piper, laticemque undantis olivi,
Inſertoque cani paullatim infundere cornu. 125
Quid? taceam nimio quum decidit ungula curſu?
Frangere namque juvat pallentis grana cumini
Dentibus, admotaque pedem lenire ſaliva:
Incipientque novi ſubcreſcere protinus ungues.
Fit quoque ut immundo catulus juguletur ab oeſtro: 130
At tu ſilveſtrem crepitantibus urere rutam
Ignibus, & fumo pariter mulcere ſalubri
Diſce: dehinc acri perfundere vulnus aceto.

Quin

Quin aures etiam muſcarum turba moleſta
Impetit uſque adeo, mutilatum appareat alte 135
Ut caput: ipſe autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus, viridique putamine tinge.
Quid quum dura canes inter ſe praelia miſcent,
Alter ut alterius percuſſus dente laboret?
Tunc etenim cervi flammae ſubjecta voraci 140
Oſſa teres, oleo ſubigens frondentis olivae
Unguinis in morem, ac vulnus letale perungens:
Quamquam etiam poſſis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero ſerpentis ſaucius ictu
Quo valeat, ſcit ſponte ſua reperire ſalubre 145
Gramen, & ipſe ſibi nullo auxiliante mederi.
Senſerit at rabidos ubi morſus, protinus ipſe
Idaeam rutae foliis, acrique Lyaeo
Junge picem, laeſaeque adhibe haec medicamina parti.
At mala quum ſcabies miſeros depaſcitur artus 150
Latrantum, & foede miſerabile corpus adurit,
Ceruſsam, abdomenque bovis, reſinamque tenacem,
Butyrumque recens viridantibus incoque ſenſim
Lentiſci foliis, infectaque membra perunge.
Sed tunc praecipue ſolerti mente cavendum eſt, 155
Quum rabie accenſus nunc hos, nunc impetit illos,
Ipſi infenſus hero, datque inſanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compeſce catena:
Inde roſae agreſtis radicem pondere ſaxi
Contuſam vivi fontis conſperge liquore, 160
Ut potus ſpeciem lino colata nigranti
Praeferat: hac ſumta, revocari ad priſtina tradunt
Senſa canem, ac poſita rabie miteſcere rurſum.

Sunt

Sunt qui ſilveſtres ficus, adipemque vetuſtum
Contundant: ederas alii ferventibus undis 165
Emollire jubent, donec pars una ſuperſit
E tribus, atque ipſis foliis, tepidoque liquore
Paſcere quadrupedem, Aurora ſurgente furentem.
Nil tandem uſque adeo prodeſt, ac prima ſub ipſum
Principium morbi reſcindere ſemina ferro. 170
Nam qua parte imo conjungi lingua palato
Cernitur, & fauces, nativo concolor auro
Occupat, in rabiemque feros agit uſque Moloſſos
Vulnificus vermis, ſuffunditque ora veneno.
Quem ſi quis potuit ferro reſecare, potentem 175
Is tanti abſtulerit cauſſam, ſtimulumque furoris.
Quae ſuperant, olim: nunc praedam ad tecta jacentem
Ferre monet praeſens fugientis temporis hora:
Quandoquidem calamos poſuit Coridallus acutos,
Et jam ſubluſtres invectat Luna tenebras. 180

IN

II.

IN OBITUM M. ANTONII TURRIANI *VERONENSIS*, AD JOANNEM BAPTISTAM TURRIANUM FRATREM.

ETSI egomet tanti casu perculsus amici
Solamen nostris discuperem lacrimis,
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
Pergeret aut tantus urere corda dolor,
Attamen, ut mi animi valuit concedere amaror, 5
Istaec moesta tibi carmina persolüi:
Quo fortasse meis consolarere Camoenis,
Si miseros quidquam Musa levare potest:
Ac ne tu in lacrimas paullatim totus abires,
Liquitur ut pluvio tacta pruina Noto. 10
Quandoquidem cari fato te fratris acerbo est
Rumor in extrema vivere tristitia,
Nec jam posse quietis habere, aut commoda somni,
Sed cedente die, sed redeunte queri:
Moerentemque, vagumque, & turpem fletibus ora 15
Amissum totis quaerere litoribus.
Fertur ut Eridani ripas errasse per omnes
Anxia fraterno funere Lampetie.

Septem

Septem quam perhibent ſomni ſine munere noctes,
Jejunam ſeptem continuaſſe dies. 20
Et, quoties longo defeſſa errore viarum
Umbroſi in ripa concidit Eridani,
Reddite vos Phaëtonta mihi, clamabat ad undas,
O quaecumque ſub hoc flumine Nympha latet.
Te tamen, ullius ſi cuiquam morte dolendum eſt, 25
Juſta quidem tanti cauſſa doloris habet.
Quandoquidem immatura morte tibi omnia frater
Commoda, teque ipſum perdidit, atque tuos:
Perdidit hei miſero carus tibi frater ademtus,
Quo tibi non ullus carior alter erat. 30
Ille amor, ille tuae ſolamen dulce juventae,
Ille tuae fuerat ſpes, columenque domus:
Quicum verſari ſemper, quicum eſſe ſolebas,
Atque animi arcana dicere conſilia:
Unum mirari, atque unum praeponere cunctis: 35
Ambroſiae e cujus effluere ore lepos.
O nimium miſeri nos, & genus aerumnoſum,
Deterius quorum eſt conditione nihil.
In nos ſaevitum eſt bello, quo durius umquam
Vidit nulla aetas, nec feret ulla dies. 40
Servitium tulimus crudele, & barbara juſsa,
Parſque domos caras liquimus, & patriam.
Relliquias, miſeroſque abſumſit tabida cives
Peſtis, & huc illuc ſaevit Erinnys adhuc.
Nec ſat erat: miſeri crudelia funera COTTAE 45
Flevimus. o indigna COTTA peremte nece.
O COTTA infelix, quae te fata impia nobis
Tam ſubito ante tuos abripuere dies?

Jam

Jam neque finierant gemitus, & lumina ſiccis
Non bene ceſsarant triſtia flere genis, 50
Quum tu, MARCE, cadis, quum nos tot triſtibus actos
Deſeris, heu falſos credulitate tui.
Non hoc vivida nos tua jam ſperare juventa,
Hoc tua non virtus, non benefacta dabant,
Exanimem ut nos te juvenem, nec jam ulla loquentem 55
Externa miſeri contegeremus humo:
Sed fore, quem fama virtus aequaret Olympo,
Unus qui multos inſtrueres populos.
Qualis ab aërio decurrens monte jugi fons
Communes multis ſufficit unus aquas. 60
Nam quid ego aut laudes memorẽ, aut tua maxima laudũ
Praemia? quam humano profueris generi:
Aut quam ſaepe animas poſitas jam ſedibus Orci
Ad ſua Apollinea membra vocaris ope?
Vos teſtes, Ticine, & qui inter paſcua laeta, 65
Medoace, antiquos abluis Euganeos:
Illo quos fama eſt naturae arcana docente,
Saepe inter Nymphas obſtupuiſse ſuas:
At nunc amiſso turbatis fleſse ſub undis,
Inque mare aſsuetas non habuiſse vias. 70
Non tamen aut ſoli, nec vos magis omnibus, amnes,
Indoluiſtis acerbo illius interitu.
Illum etiam Grajae, & Nymphae flevere Latinae,
Illum etiam Tuſcis Calliopea modis.
Quin etiam ſilvae, & montes gemuiſse feruntur, 75
Et vos extremi fleſtis Hyperborei.
Sed mage Benacuſque ſenex, & Sarca, ſepulti
Qui prope vicinum praetereunt tumulum.

Sed

Sed magis ipſe Atheſis, olim qui corpus humandum
Condendum caram perferet in patriam, 80
Ne extra cognatos cineres, atque oſsa parentum
Illum perpetuo terra aliena tegat.
Tunc vos o patrio prognatae Najades amne
Spargite odoratis plena ſepulcra roſis.
Tempus erit, quum poſteritas mirata nepotum, 85
Quantum iſti, dicent, ah tribuere Dei!
Atque aliquis monumenta legens, & ſcripta jacentis
Devota ad mutos ſerta feret cineres.
Interea, o vos Benaco centum patre Nymphae,
Sarcaque ab Alpinis edite verticibus, 90
Et vos o Naci rupes, & ſaxa Briani,
Et nemora umbroſis denſa cacuminibus,
Ferte aliqua, o nunc ferte meo ſolatia BATTO,
Et tantam ex animo demite triſtitiam.
Quem neque ſancta poteſt Sophie complexa levare, 95
Muſa nec aſsuetis ſedula carminibus.
BATTE, tamen vates, longum ut quaeſiſset ademtam,
Et longum fleſset Thracius Eurydicen,
Nullo ſolatus, blando quam carmine, curas,
Nullo, quam Sophia, dicitur eſse magis. 100
Illi, ſeu Rhodopes ſilvis erraret in altis,
Sive in deſerti Strymonis aggeribus,
Semper Muſa comes, ſemper pendebat eburna
Ex humero numeris docta ſonare lyra.
Ille orbem immenſum ſemper ſpectabat, & orbis 105
Ornatum, puris ſidera luminibus,
Et maria, & montes vaſtos, atque irrequieta
Flumina, tum quidquid denique terra parit.

Quo-

Quorum animadvertens certa ſub lege tenorem,
  Paullatim caram ſenſerat Eurydicen 110
Deleri, & triſtem mutari in gaudia mentem;
  Tantum animos rerum forma levare poteſt.
Aſpice lucentem Lunae Titanidis orbem,
  Et cum Sole ſuo quae ſuper aſtra micant.
Omnia ſunt aeterna, & vitae juncta perenni: 115
  Quae loca felices Diique animaeque colunt.
Inferior Leti regio eſt, ſedeſque malorum,
  In qua eſt, quod felix intueare, nihil.
Quippe ſolum hoc ventique, imbreſque, & cuncta fatigāt,
  Quaecumque aëria de regione cadunt. 120
Adde aeſtuſque, hiemeſque, & morborum genus omne.
  Tum natura aliqua eſt indiga ſemper ope.
Nos porro deſideriis mala plurima noſtris
  Junximus, o praeceps in ſua damna genus.
Hinc odia, & timor, & lites, & bella cruenta, 125
  Et via non uni plurima aperta neci.
Attamen in tantis aerumnis eſt animi ſpes
  Unica, quem melior vita beare poteſt.
Quippe, ubi praefulgens ulla virtute reliquit
  Corporeum, ſedes advolat aetherias, 130
Semideûmque domos, & Divûm morte carentum,
  Hic, ubi non aeſtas, nec fera ſaevit hiems:
Nec dolor, aut deſideria infelicia noſtri,
  Nec ſors partem aliquam, nec rude vulgus habet:
At ſancti heroes habitant, gens inclyta bello, 135
  Ingenuique, novem qui coluere Deas:
Quique pii, juſtique, Deûm praecepta ſecuti,
  Et ſancta inſignes qui fuerunt Sophia.

Quos

Quos inter tuus ipſe recens a funere frater
Miratur caelum, Caelicolûmque domos, 140
Aeternamque diem, & felicem ex ordine gentem:
Inter quos gaudet ſe quoque dinumerans.
Quem circum illuſtres animae, PROAVIQUE, PATERQUE
Intentos oculos ore Nepotis habent,
Et pulchram effigiem agnoſcunt: miratur & ipſe 145
Egregiam ſtirpem, magnanimumque genus:
Agnoſcitque ſuos, & facta, & nomina diſcit:
Tum quantum ſit adhuc terra habitanda tibi.
O fortunatum nimium, triſtem ante ſenectam
Carpere iter caeli cui potuiſse datum eſt. 150
Quas ſyrtes, quos & ſcopulos poſt terga relinquis,
MARCE! tibi a quanto eſt ſalva carina mari!
Fortunate iterum: tu non incommoda vitae
Paſſus adhuc, non quae plurima habet ſenium:
Sed dulces inter Muſas, & Apollinis artes 155
Fortunata nimis vita peracta tibi eſt.
I, decus Auſoniae juvenis, numeroque Deorum
Te immiſce: culta eſt jam tibi terra ſatis.
Illa tuum, dum ſidera erunt, dum flumina current,
Nomen in aſtra memor, & benefacta feret. 160

III.

AD JOANNEM BAPTISTAM TURRIANUM, VERONENSEM.

BATTE, animos quando tristes, curasque levare
Musa potest, ego nunc sortem, casusque supremos
Ipse meos tristi solabor carmine tecum.
Et tecum dulces natos, quos funus acerbum
Abstulit, aeterna & pariter caligine texit, 5
Conquerar: ut saltem tenebris, & nocte perenni,
Quantum opis est nostrae, miserorum nomina demam.
Quae potui, dum vita illos auraeque fovebant,
Exhibui genitorque, gubernatorque duorum
Infelix. primas alter vix fingere voces, 10
Alter adhuc teneris jam tum decerpere ab annis
Prima rudimenta, atque omen praebere parenti.
Quos ego (sed Zephyri spes portavere paternas)
Censueram, si fata darent, quum posceret aetas
Fortior, ad dulces tecum traducere Musas 15
Assiduos, citharamque humeris suspendere eburnam.
Inde, ubi jam caelum, ac Solem, fulgentiaque astra,
Terramque, & liquidos ignes, aequorque profundum
Mirari inciperent, latisque animalia campis,
Te monstrante viam, te rerum arcana docente, 20
Mens fuerat dulces Sophiae deducere ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii
Semper alit, semper caelesti nectare pascit.
Hic tremulo, & longa confecto aetate parenti

Pur-

Purpureos legerent flores: ſeniique levamen, 25
Threïcia canerent cithara, quae plurima quondam
Audiſsent te populea meditante ſub umbra,
Divino mirantem Atheſim dum carmine mulces,
Et rerum canis, & teneri primordia mundi.
Fortunate ſenex, ſi natorum ore referri 30
Fata ſinant, ut nata chao antiquiſſima rerum
Materies viſi correpta cupidine pulchri
Arſerit, atque Deûm thalamo complexa, jugarit
Corpora prima: quibus diſcordia nata hymenaeis,
Et diviſa locis, ſuprema petiverit ignis 35
Purior, & nitidis vicinus ſederit aſtris:
Quem juxta per inane amplum ſe fuderit aër:
Ima autem tellus vaſto circum obruta ponto
Conſtiterit: quam dudum hinc inde agitantibus undis
Subſterni late campi, deformiaque arva 40
Paullatim apparere ſupra, & concreſcere montes
Coeperunt, procul & nudas oſtendere cautes,
Mox nemora, & virides undis mirantibus ornos.
Montanis tum ſpeluncis, & rupibus altis
Exſiluere udae formoſo corpore Nymphae, 45
In viridi flavos ſiccantes litore crines.
O fortunatum nimium, ſi Numina tantum
Haec mihi ſervaſsent, ſi non caſura dediſsent.
Verum aliter Lacheſi viſum eſt, quo tempore primum
Natorum coepit producere fila duorum. 50
Quippe auram miſeris, & dulcem noſcere vitam,
Spemque ſui dederat praebere: alia omnia ventis
Tradita, nocte atra & tenebris involverat Orci.
Non licuit firmos annis, viridesque juventa

Inſpicere, & carae ad metam deducere vitae. 55
Nec potui votis, nec ope adjuviſſe paterna
Clamantes, fruſtraque patris ſuprema petentes
Auxilia, & nota nequidquam voce vocantes.
Heu mortem inviſam: quis te mihi, PAULLE, Deorum
Arripit, & miſerum complexibus abſtrahit iſtis? 60
Tu prior immiti correptus morte, parentem
Deſeris, & dulces auras, & lumina linquis.
Quod te ſi tali dederant ſub lege futurum
Fata mihi, non jam fuerat moeroris abunde?
Non gemitus? quid me e tam multis patribus unum,
Caelicolae, lacrimiſque novis, & morte recenti
Opprimitis, caroque etiam ſpoliatis IULO?
Heu, miſerande puer, quanto plena omnia luctu
Liquiſti abſcedens! quem non veſana Deorum
Incuſavit inops, quum te complexa jacentem 70
Aſpiceret laniata comas & pectora mater?
Ah miſera, ah male fauſta parens, quid Numina fletu
Sollicitas? jacet ille, velut ſucciſus aratro
Flos tener, & fruſtra non audit tanta gementem.
Ah miſera, ah quid ſublatum complexa moraris? 75
Ille tuus non jam eſt. Vos illam in funere, matres,
Collapſam accipite, exanimemque reponite tectis.
At vos, inſontes animae, cariſſima nuper
Pignora (quod miſero ſupereſt optare parenti)
Semper avete mei, ut licuit, ſemperque valete. 80
Seu dulce Elyſium functos, umbraeque tenebunt
Sanctorum nemorum, puro ſeu ſidera caelo,
Ipſe ego vos ſemper lacrimis, vos carmine triſti
Proſequar, & veſtris perſolvam juſta ſepulcris:

Donec

Donec me vobis tenuem conjunxerit umbram 85
Summa dies, natis aequat quae ſola parentes.
Interea curas numeris, Muſaque levemus,
BATTE, animos: quando rerum mortalis origo eſt,
Quando etiam vitae norunt vaſta aequora finem.
Scilicet & quondam veniet labentibus annis 90
Illa dies, quum jam curvo ſub vomere taurus
Deſudet, terramque gravis proſcindat arator,
Nunc ubi caeruleae roſtris ſpumantibus undae
Sulcantur, verruntque citae freta longa carinae.
Nec vos, o liquidi fontes, aeterna manebunt 95
Secula, ſe tanto quamvis pater efferat amne
Eridanus, tumiduſque fluat tot cornibus Hiſter.
Quin etiam aërii montes, mirabile dictu,
Taygetus, Syphiluſque, jugo & Cymbotus opaco
Innumeras poſt aeſtates, ac ſecula longa, 100
Senſerunt ſeniumque ſuum, ſupremaque fata:
Ex quo materies thalamos, primoſque hymenaeos,
Atque elementa novus ſenſit diſcordia mundus.

IV.

AD DANIELEM RHAINERIUM

Veronae Praefectum, Senatorem ampliſſimum.

RHAINERI venerande, uno quo ſoſpite, nondum
Juſtitia, & virtus terris antiqua receſſit,
Multa quidem monumenta tuis ſub faſcibus Urbis,
Multa cadunt antiqua piorum & templa Deorum,

Et Bromii vites, & amicae Pacis olivae. 5
Verum haec ex Urbis re dilabuntur, & ipsi
Ultro etiam sua tecta volunt procumbere Divi.
Ah, saltem antiquo medicorum parcere ritu
Fasque, & suetus amor pietatis, & inclyta virtus
Magna tui valeant. valeant hoc more vetusto, 10
Quo nostri vixere atavi, vixere parentes,
Te duce venturi longum superare nepotes.
Sanctior hic templis, hic Divûm est sanctior aris,
Quem neque tempus edax potuit, nec secula tot jam,
Non belli rabies, non ipsum infringere ferrum, 15
Tantum est justitiam violari, & foedera rumpi.
Scilicet & sacra est medicina, vetusque Deorum
Inventum, & sacri medici, quibus auctor Apollo:
Qui revocare animas jam caligantibus Orci
Faucibus impositas ad carae munera vitae, 20
Aetheriosque haustus, & dulcia lumina possunt:
Qui genus innocuum, vitaeque ad publica nati
Commoda, divinas tantum didicere per artes
Exercere aevum, atque humanae praeesse saluti.
Hos aequum est te praecipue, longeque tueri, 25
RHAINERI, ante alios, idem cui cessit Apollo
Ipse suas artes, & munera nobilis otii:
Quemque domos Divûm docuit, perque omnia duxit
Sidera: quem Grajo insignem Latioque cothurno
Secretas dedit Aonidum percurrere silvas, 30
Et calamos, citharamque humeris suspendit eburnam.
Idem te dulces Sophiae deduxit ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii
Semper alit, semper caelesti nectare pascit.

Salve

Salve, magne parens, qui tot virtutibus auctus 35
Urbem justitia, & Divis in pace secundis
Egregiam moderare, Athesis qua flumine pulchro
Labitur, & placido secat arva virentia cursu.
Tu quoque, magna virûm genitrix, urbs inclyta, salve,
Cura Deûm, VERONA: tui cessere labores, 40
Aerumnaeque graves, atque horrida Martis imago,
Sanguinis & vesana sitis, & tristis Erinnys.
Barbara jam cessit rabies, & in Alpibus atrox
Saevitiam miles, gelidumque exercet ad Albim.
Jam duros nimium servîtus, & fera jussa 45
Desuemus perferre, ullos non jam urbe Tyrannos
Conspicimus, sed te, RHAINERI maxime, sed te,
Magne pater, uno tandem quo sospite, nobis
Jam bona Libertas rediit, Pacemque per agros
Laeta Ceres, Bacchique chorus comitantur ovantes. 50
Gaudete o quicumque boni speratis agrestes,
Quorum amor est sobolis, studiumque nepotibus arva
Incolere, & parvas ulmis attollere vites.
Tempus io, nunc tempus adest, quo secula Parcae
Aurea nent, tandem quae nunc te Praeside laeta 55
Incipiunt: sed erunt nobis tunc maxima, quum te
Insignem sceptro Venetûm, sanctaque tiara
Regna salutabunt terris diffusa, tuumque,
Qua Sol exoriens visit, qua deserit orbem
Occiduus, late clarum feret Hadria nomen. 60

V.

AD JOANNEM MATTHAEUM GIBERTUM, EPISCOPUM VERONENSEM.

ILLE tuus, GIBERTE, ſacras qui in montibus aras
Melſineis tibi conſtituit, qui teque, tuumque
Per nemus omne canit, perque omnia litora nomen,
Haec enata ſuis mittit tibi poma ſub hortis
Aurea, quae quondam Medorum e finibus Atlas 5
Tranſtulit, & magno ſervabat tuta Dracone:
Mox victor ſacra exſpolians pomaria Perſeus,
Dum levibus noſtrum talaribus aëra tranat,
Donavit Charitae Benaci ad flumina Nymphae.
Inſuper hos, GIBERTE, tibi dat munera piſces, 10
Qui quondam Etruſci nautae, noſtraque fuere
Effigie, nunc Benaci ſub gurgite nantes
Caerula converrunt ſinuatis aequora caudis.
Quod ſi forte juvat tanti miracula facti,
Atque hominum quondam verſas audire figuras, 15
Ipſe edam, Saloi quae quondam ad litora BATTUS,
BATTUS amor Dryadum cecinit, mihi rettulit Aegon.
Forte ſenex Cretae patriis Saturnus ab oris
Ab Jove depulſus, regnum ſedeſque quietas
Quaerebat Latio in magno, fataliaque arva: 20
Jamque diem medio Sol inclinabat ab axe,
Quum feſſus, longaque via ſiccatus & aeſtu,
Ad vada Benaci viridi proſpectat in herba
Veſcentes nautas, & puri grandia Bacchi

Pocu-

Pocula miſcentes: placido quos ore ſalutans, 25
Ecquis, ait, veſtrûm, pueri, ſuccurrit egenti,
Defeſsoque ſeni? quis pocula parva miniſtrat,
Exſtinguitque ſitim? poſcenti illudere nautae,
Et ridere ſenem. quis enim praeſentibus undis
Poſſit habere ſitim? en flumine largius illo 30
Ebiberis, gelidaque aeſtum ſolabere lympha.
Illuſus Deus immiſſis in flumina palmis
Haurit aquas, pronuſque bibit: tum verſus ad illos,
Quo tamen e pretio, pueri, ducetis ad illas
Remigio cautes, quae fluctibus undique circum 35
Clauduntur, mediiſque jacet parva inſula in undis;
Oſtenditque locum: pretium gens impia iniquum
Poſtulat. at pactus ſenior tamen omnia firmat,
Adjuratque Deos teſtes, ſcanditque phaſelum.
Illi autem, dum nave cita liquida aequora ſulcant, 40
Ignari, quiſnam ſedeat Deus, Eja age nobis
Fare, ſenex, quonam latebras pro crimine quaeris?
Anne fugam ſubrepto auro, dominoque relicto
In loca tuta paras? Sed te tua fata ſequuntur,
Demens, quem nullae poterunt ſervare latebrae. 45
Nomine Carpus erat, qui tam temeraria verba
Dixerat, ingeminant comites, aurumque repoſcunt,
Proferri ſubreptum aurum: ni proferat, omne
Vi rapiant, pulſumque rate in media aequora turbent.
Quos placidus dictis ſenior demulcet amicis. 50
Etruſci nautae, quae nunc mens impia ſuadet
Nec ſervare fidem vos, nec meminiſse Deorum?
Dicenti jam vis, jam dextra infertur. At ille,
Qui tandem agnoſci poſſet Deus, Impia, dixit,

Gens

Gens inimica Deûm, dabitur, quod poſcitis, aurum, 55
Hoc imo ſub fonte aurum paſcetis avari.
Dixerat. Aſt illis veniam poſcentibus, & vox
Deficit, & jam ſe cernunt muteſcere, & ora
In rictum late patulum producta dehiſcunt:
In pinnas abiere manus, veſtiſque rigeſcit 60
In ſquammas, caudamque pedes ſinuantur in imam.
Qui fuerat ſubita obductus formidine, manſit
Pallidus ore color, quamquam livoris iniqui
Indicium ſuffuſa nigris ſint corpora guttis.
Carpus aquas, primus Numen qui laeſit, in amplas 65
Se primus dedit, & fundo ſub condidit imo.
Inde alii celeri ſe ſe in media aequora ſaltu
Praecipitant, vacuamque ratem, & ſine remige linquunt.
Jamque Deus ſuper unus erat: ſubit ipſe magiſtri
Munus, & adductis pelagi petit ultima ripis. 70
Expoſitus ripa placidas converſus ad undas,
Ecquid io, Nymphae Benacides, iſta ſuperſit
Navis, & hunc amnem ſacrum male fauſta carina,
Et veſtras ſulcabit aquas? En certe ita & hujus
Criminis hoc ſcopulo ſemper monumenta manebunt.
Dixit, & in partem rupis converſa pependit
Cum remis ratis ipſa ſuis, ubi cernere conchas
Nunc etiam licet, externo quas litore nautae
Collectas miſeri media impoſuere carina.
Ex illo nunc Benaci per litora nantes, 80
Atque auri venas fundo paſcuntur in imo,
Nunc etiam a primo retinentes nomina Carpo.

VI.

VI.

AD MARGARITAM VALESIAM NAVARRAE REGINAM.

Caesaris Fregosii nomine.

DUM me Cenomanos inter tenet Itala tellus
Zefredique arces, mens autem nescia claudi
Libera trans gelidas Alpes Rhodanumque vagatur,
Trans Ararim, caelumque beatum & Gallica semper
Regna videt, Regemque suum, tecumque moratur 5
Assidue, versatque tuas sub pectore laudes;
Ecce mihi caelata auro gemmaque nitenti
Armipotens, galeaque ferox & Gorgone Pallas
Oblata est, seu fors tulerit, seu fata dedere.
Continuo visa ante oculos effulgere imago 10
Magna tui, inque ipsa micuerunt Pallade vultus
Virtutesque tuae, moresque, & facta, decusque.
Quippe illam e cunctis sic tu mortalibus una
Assimilas, sic una refers, in Pallade ut & tu
Noscare, & Pallas in te. sive illa Minerva, 15
Seu dici Bellona velit, consensus utrimque
Est idem, ora, animi, genius, cognataque virtus.
Jure igitur tibi debetur, tibi convenit uni
Gemma, aurum, effigiesque Deae: sive est Polycleti,
Sive Myronis opus. placeat tibi munus: imago 20
Est tua: sit gratus cum munere, muneris auctor.
Quod si digressus paullum, & provectus amore

Pie-

Pierio, dum me dulces per grandia Muſae
Facta tua, & dum per monumenta heroica ducunt,
Ipſe tuas memorem laudes, quibus aethera ad altum 25
Scandis, & illa ſimul referam, per quae una Minervam
Uſque adeo aſſimilas, juvet auſcultare canentem,
Si vacat, & ſolitae ſunt te oblectare Camoenae.
Illa parente Deo Jove magno, fratre ſuperbit
Gradivo. tum forte acres in bella phalanges 30
Si quando exacuit, late timor occupat urbes,
Turbati tremuere hoſtes, ac terga dedere.
Ipſa haſtam quatit, atque horrenti Gorgone ſaevit.
Ante Deam dirae effigies, Terrorque, Minaeque
Sanguineae, & dans terga Pavor, Viſque impia, & Irae,
Vinclaque, Vindictaeque aſtant, & Mortis imago.
At vero poſitis armis, atque aegide dira,
Mollius humanas ſi demittatur ad artes,
Manſuetoſque uſus, tum dulcia carmina cantat,
Et facilem exercet Muſam, aut heroica geſta 40
Deſcribit, numeriſve orbes metitur & aſtra.
Sin autem imperiis & majeſtatis honore
Gaudeat, aeternae ramis inſignis olivae
Aut juſtas ſancit leges, aut jura miniſtrat,
Aut arces ſtruit, aut medias regina per urbes 45
Incedit, matreſque ſuper longe eminet omnes:
Condenſi agglomerant ſe altis clamoribus Afri,
Spectatumque ruunt, araſque & publica ponunt
Templa Deae: plauſu reſonat Tritonia ripa.
Tu pariter magno Gallorum Rege Deoque, 50
Ac Jove nata ſimul, Germano Marte ſuperbis.
Nam Martem quiſnam eſſe neget, ſeu fortia nudus
Bra-

Brachia, praevalidoſque artus, atque Herculis armos
Oſtendit, taurumque uno proſtraverit ictu:
Sive acrem, pictiſque armis ſpectandus & auro, 55
Preſſit equum, ſtruxitve acies, & victor in hoſtes,
Ceu torrens, ſigna atque viros ſternitque fugatque;
Fulmineove Jovis tonitrus imitatus & arma
Tormento, muros & magnas diruit urbes?
Te quoque tantorum comitem, partemque ſecundam 60
Bellorum, ſi quando acies atque arma movenda
Perculſae tremuere urbes, horrorque, pavorque
It campis, Mars germanam comitatur ovantem:
Attoniti ſpectant populi, gaudentque tueri
Nunc primum, nunc & medium, nunc agmen obire 65
Poſtremum, nunc pellere equum, nunc tendere in hoſtē,
Turbantem cuneos, & abactis agmina ſignis.
Aſſiſtunt comites circum Solertia, & Aſtus,
Et magna audentes Animi, & Tolerantia dura,
Curaque, Sedulitaſque vigil, Speſque alta, Laborque, 70
Et Divûm Favor, & ventis Fortuna ſecundis:
Pone ſequens magno graditur Victoria plauſu.
Nec minus horrenti a bello, partiſque triumphis
Si juvat ingenii, paciſque incumbere in artes,
Nunc lauro redimita comas, imitata ſorores 75
Caſtalias, plectis numeros, & carmina dictas,
Carmina nec rerum fato ſubjecta, nec aevo:
Nunc magnos dimenſa orbes in templa Deorum
Attollis animos, patrioque aſſueſcis Olympo:
Nunc tua deſcribis vel regum geſta tuorum, 80
Aut eadem depingis acu. ſtant curribus altis
Et pater, & proavus, cunctique ex ordine reges,

Capti-

Captivoſque hoſtes, & vinctos colla Tyrannos
Ante rotas longis ducunt in templa triumphis:
Ipſa opus & textum ſtupet immortale Minerva. 85
Quam vero, o quam te dicam, quum legibus aequis
Juſtitiaque feros populos frenaſque, regiſque,
Et divina doces jura, & civilia ferre:
Aut arces tollis, aut propugnacula condis:
Aut matres inter medias, populoſque frequentes 90
Incedis Regina. Favor comitatur euntem,
Majeſtaſque, Pudorque, tamen qui Pallada poſſit
Armatam, & Martis gradientem in bella decere.
It dextra Pax laeta manu, & praetendit olivam.
Applaudunt Sequani, floreſque & lilia paſſim 95
Effundunt, gaudentque tuas attollere laudes,
Reginamque, Deamque, ſalutiferamque ſalutant,
Et pace inſignem, & bello ferroque potentem.
Fortunata nimis, magnus quam Caeſar, & omnis
Suſpicit admirans orbis, cui lumine tellus 100
Felici arridet, totus cui militat aether.
Diis quamquam viſum aſpectu tibi debita regna
Paulliſper privare tuo, ſeu crimine cives
Id meruere aliquo, ſeu te tua fata reſervant
Ad majora, viamque tuis virtutibus amplam 105
Expediunt, panduntque. Etenim jam tempora laeta
Illa inſtant, quum poſt lacrimas, poſt publica vota
Te tandem tua regna novis decorata trophaeis
Accipiant, & juſta tibi ſolennia ſolvant.
Jam ludi, feſtique dies, jam ſacra parantur: 110
Jam placidus ripa gaudet Meniaſcus amoena:
In templis pueri impubes, mixtaeque puellae

Sacra

Sacra canent, ortusque tuos ad sidera tollent:
Ut nascentem ulnis primae excepere Camoenae,
Melleque, & Aonio tetigerunt ora liquore: 115
Ut Charites fovere Deae, & decus omne dedere:
Ut parva in numerum pedibus cunabula Divae
Pellentes, manibus nentes fatalia pensa
Grandia concordes cecinerunt fata Sorores.
Stabunt ingentes sublatis molibus arcus 120
Caelati gestisque tuis, factisque tuorum.
Supra omnes humeris exstans altaque corona
Frater erit, senosque ferox ex hoste triumphos
Ducet ovans. mox fortuna congressus iniqua,
Cum dura bellare Dea, & decernere dure 125
Cogetur. longe illa Euris in bella vocatis
Objicere adversos, & toto nubila caelo,
Et casus, & monstra modis minitantia miris
Cernetur: Rex contra animis, & fortibus ausis,
Et virtute nova tandem superare cadentem, 130
Tendentemque manus: tum ferro & compede vinctam
Protrahere, & campo captivam ducere aperto:
Nubila diffugere, & turpi deformia monstra
Victa fuga, vario bello consumta fameque
In caecas latebras obscuraque Tartara condi. 135
O, mihi si tantum juvenili in corpore vitae,
Et tantum det Parca mihi, haec ventura superstes
Ut videam, comiterque tuos, Regina, triumphos;
Mox etiam spectare queam & majora parari.
En erit, en umquam illa dies, quum Gallica signa 140
Attolli, & Sequanos compleri milite campos (cos,
Cōspiciam, fremere arma Rhemos, fremere arma Cadur-

Auler-

Aulercoſque, Heduoſque, & pictis Lingonas haſtis?
In mediis Regem ſecum cataphracta trahentem
Agmina, ſublimem ſanctas procedere ad aras, 145
Per caput & ſacram regum de more coronam
Jurantem, & Solymas repetentem debita ſceptris
Regna ſuis: te parte alia fortes Iturifcos,
Andelos, Biturafque feros in bella moventem:
Conſiliis, tantoque operi comitemque ducemque 150
Aſcitam: nec non tanto ſub Rege coactam
In ferrum ruere Italiam, & ſocia arma trahentem
Signa ſequi. mox o liceat Caeloque ſecundo,
Et praeſente Deo, tot ſe ſe addentibus una
Proſpicere immenſum conſterni puppibus aequor, 155
Carmelique procul rupes, & litora Ioppes
Laeta Dei claſſem, & victricia vela vocare,
Et trepidum Euphratem, & magni tremere oſtia Nili.
Tunc ego non alium Martem mihi, Pallada poſcam
Non aliam mihi: Rex Mavors, tu maxima Pallas 160
Sola eris. o ego tunc gemino ſub Numine tutus
Per medios hoſtes videor denſoſque maniplos
Victor agi, videorque mea ſub cuſpide fractos
Munera magna tibi captivos ducere reges;
Nec non & ſpolia ampla tuis addenda triumphis 165
Jungere, barbaricas veſtes, regumque tiaras,
Armaque, Mygdonioſque arcus, Lyciaſque pharetras:
Cernere & exanimem fuſo cum milite portas
Caucaſeas atque Hircanos inquirere ſaltus
Maumethem, & ſe ſe extremis occludere Bactris. 170
Haec, precor, haec propere eveniant felicibus aſtris,
Si qua fata dabunt, votis ſi Jupiter adſit.

Inte-

Interea, ſive haec te cura, & gloria tangit,
Seu pacem Europae miſerae moliris, & arma
In Superûm ſaevos hoſtes avertere tentas, 175
Magnanimo aſſiſtente tuis conatibus ANNA,
ANNA ſpectato meritis, cui ſumma poteſtas
Tradita, quo rerum moles oneroſa recumbit,
Quidquid agis, ſi quando animum convertis ad ipſam
Italiam (neque enim teneat non haec quoque cura) 180
Tunc dicas, Caelo ante alios mihi ſidus in illo eſt,
Qui niſi pro Rege invigilans noctesque dieſque
Illic res Italas, & regia munera tractet,
Gallica ſuſpiret regna, & tabeſcat abeſſe.
Praeterea, Dea bellipotens, quae munera CAESAR 185
FREGOSUS, parva illa quidem, ſed congrua mitto,
Haud ingrata tibi Latiis accedat ab oris,
Una eadem, facieſque tui, facieſque Minervae.
Quinetiam, quoties Divam ſpectare juvabit,
Te toties ſpectare puta. Sed, me quoque tanti 190
Si facies, ſi me tali dignabere honore,
Quum memor ipſa mei fueris, tum nomine noſtro
Longaevamque diem, & felicia cuncta precata,
Diva, tuum ſalvere jube ſuper omnia Martem,

VII.

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM,

ET GALEATIUM FLORIMONTIUM.

DUM vos fatidicos vates, arcanaque ſenſa
Volvitis, atque animum caeleſti nectare alentes,
Alloquiis, magnoque Dei conſueſcitis ori
Felices duce Giberto, Campenſe magiſtro:
Quid dicam miſerum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quaerentem indagine vana
Naturam ſemper fugientem: quae ſe ubi paullum
Oſtendit mihi, mox facies in mille repente,
Ceu Proteus, converſa ſequentem eludit, & angit
Moerentem ſeniique horas, caſſumque laborem? 10
Nuper enim tenues ſpecies, ſimulacraque rerum
Quae fluere ex ipſis dicuntur, perque meare
Omnia, dum ſector meditans, tacituſque requiro
Avia ſilvarum, & ſecreta ſilentia ſolus,
Cognovi tamen his ſpectris illudier ipſis: 15
Ut ſenſus feriant noſtros, ſemperque laceſſant,
Perque fores, caulaſque animae ludantque, meentque,
Ac remeent, ipſamque nec inter ſomnia linquant.
Ergo hoc eluſum ſtudio, feſſumque labore
Tandem me miſerata ſuos abduxit in hortos 20
Muſa memor, tetricumque animum ſomno, atque quiete
Curavit, numeriſque & blando carmine fovit.
Tum mihi: Quo tandem, o ſemper mortalia quaerens,

Hanc

Hanc colere uſque voles terram? numquamne relinques
Has tenebras, numquamne in lucem lumina tolles?
An neſcis, quaecumque hic ſunt, quae hac nocte te-
guntur,
Omnia res prorſus veras non eſſe, ſed umbras,
Aut ſpecula, unde ad nos aliena elucet imago?
Terra quidem, & maria alta, atque his circumfluus aër,
Et quae conſiſtunt ex iis, haec omnia tenues 30
Sunt umbrae, humanos quae tamquam ſomnia quaedam
Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt,
Numquam eadem, fluxu ſemper variata perenni.
Sol autem, Lunaeque globus, fulgentiaque aſtra
Cetera, ſint quamvis meliori praedita vita, 35
Et donata aevo immortali, haec ipſa tamen ſunt
Aeterni ſpecula, in quae animus, qui eſt inde profectus,
Inſpiciens, patriae quodam quaſi tactus amore,
Ardeſcit. ſed enim, quoniam hic non perſtat, & ultra
Neſcio quid ſequitur ſecum, tacituſque requirit, 40
Noſſe licet circum haec ipſum conſiſtere verum,
Non finem: verum eſſe aliud quid, cujus imago
Splendet in iis, quod per ſe ipſum eſt, & principium eſſe
Omnibus aeternum, ãte omnem numerumque, diemque.
In quo alium Solem, atque aliam ſplendeſcere Lunam 45
Aſpicias, alioſque orbes, alia aſtra manere,
Terramque, fluvioſque alios, atque aëra, & ignem,
Et nemora, atque aliis errare animalia ſilvis:
Denique cuncta alia cernas vegetantia vita.
Ergo, umbras quum jam ſatis, & ſpecula illa, ſuperque
Spectaris, longa jamdudum in nocte pererrans,
Fas tandem lucem, atque ipſum perquirere verum.

Quod quoniam longe ſejunctum eſt corpore ab omni,
Nec nexus habet, aut affinem ſenſibus ullis
Naturam, ſcito eſſe animum tibi diſſociandum 55
Corpore, purgandumque omni contage recepta,
Terrena labe, & mortalis luminis hauſtu:
Quaerendaeque aliae ſilvae, calleſque tenendi
Sunt alii, meliorque, Deum quae ſemita monſtrat.
Haec Muſa. o ſi te comitem dent rura beata 60
Bardolena mihi, o qui nos propter amoenum
Benacum viridi ſilvis in litore ſiſtat:
Atque olea, lauroque tegat, detque abdita vatum
Senſa, & utramque Dei praecepta evolvere legem.
Rura, oro, GIBERTE, tuo Benacea vati 65
Da, virideſque oleas, & multa protege lauro.
Ille tuas laudes primum canet, & tua facta
Inclyta Maeoniis numeris ad ſidera tollet.
Ut puerum mirata ſacro cum Tybride Roma
Ante annos meritis titulis & honoribus auxit. 70
Ut res Romana, & ſacrorum tradita juſſu
Pontificum tibi ſumma in te uno ſaepe reſedit:
Ut ſeptem fremuere novis applauſibus arces.
Macte animis, macte ingenio, tu trajicis aequor
Barbaricum, & ferro reges in bella ruentes 75
Alloquiis frenas, & coeptos ore tumultus,
Armaque, & hoſtiles animos, & praelia ſedas:
Foedera, amicitiaſque feris, pacemque reportas
Italiae, populiſque Dei. nec te tamen ingens
Terra capit. toto juvenem tot plauſibus Orbe 80
Exceptum, tua te pietas, tua maxima virtus
In caelum vehit, & terrae dat ſpernere honores:

Dat

Dat contemnere opes, unique incumbere Olympo,
Ac ſolis Divorum epulis, & nectare paſci.
Haec ubi perpetuo cantavit carmine, & omnes 85
Reſpondent late rupes: tunc concitus oeſtro
Fatidico, plenuſque Deo, Davidica vates
Ipſe etiam pater interpres oracula ſolvit,
Dignus, qui ante omnes citharam pertractet eburnam,
Quam quondam Solymae ſtupuere arceſque Sionis. 90

VIII.

AD FRANCISCUM TURRIANUM

VERONENSEM.

TURRI, ſi aut mihi villa & lar ſit laetior, aut tu
Ferre domum tenuem poſſis, parvoſque penates
Urbe procul ruri ſe ſe abſcondentis amici,
Quantum ego te his mecum CAPHIIS in montibus optem
Montibus his, ubi, ſi querulae nemora alta cicadae 5
Non rumpant, equidem vix norim aeſtatis adeſſe
Tempora, tam leni miteſcit Julius aura!
Sed quid, ſi eſt anguſta domus, dum pulvere & omni
Munda ſitu: dum ſit nullo turbata tumultu,
Neſcia curarum, nullius conſcia culpae: 10
Alta ubi per totum ſit pax, & amica Camoenis
Otia, & integri per magna ſilentia ſomni?
Quid refert, alius minio laquearia rubra
Si inſpicere, ipſe velim fuligine nigra videre?
Si non dejectum caelo Jovis igne Typhoëa 15

Terrigenaſque alios, ſpirantia ſigna, videbis
Admirans opus aeterni memorabile Julî;
At bona Libertas aderit, quae rura beata
Praecipue inſequitur, ſimplexque incedit & exlex.
Hic tibi, ſi paullo digitus ſit inunctior, aut ſi 20
Potanti inſonuit cyathus, vel ſi pede utroque
Non ſteteris, nemo objiciet, nemoque ſedentem
Arguet, hoc illi ſi fors ſuper incubuit crus.
Stare, ſedere, eſſe ex libito, & potare licebit.
Forſitan &, mihi quid vitae, quid ſit ſtudiorum, 25
Noſſe optas, quo vel damnes, vel ſingula laudes.
Mane venit, juvat Auroram Solemque videre
Naſcentem, qui non alio conſurgit Eco
Pulchrior, unde nova laetantur ſingula luce,
Et ſilvae, ſcopulique, & pictis nubibus aër. 30
Parte alia Benacum alto de colle ſaluto,
Centum cui virides invergunt flumina Nymphae:
Ipſe ſinu magno Genitor magno excipit amne.
Tum juvat aut ſpectare boves mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulſas in paſcua capras. 35
Prae caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore ſetae.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui baltea fuſo.
Interea natos diſcentes ruſtica amare 40
Numina, vicini nemoris gelidam voco in umbram,
Qui libros, qui ſecum horae ſolatia portent.
Hic legitur, viridique toro, ſaxove ſedetur
Glandifera ſub fago, aut caſtanea hirſuta.
At variae circum ſilvis, & frondibus altis 45

Aſſue-

Assuetae ludunt volucres, atque aethera mulcent.
Tum densum nemus, atque umbrae per gramina laeta
Jejunas nos invitant spatiarier horas.
At fessi haec inter pueri sitiuntque, dolentque
Plus aequo retineri, & jam Musasque, librosque, 50
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycaei.
Ergo praecurrêre, & aquas, & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores sparsere nitentes.
Advenio. primas atro lita mora cruore,
Aut grossi mensas ineunt, cors cetera, & hortus 55
Sufficit. Interea crebro sonat area pulsu,
Increpitat seges, & duri sub Sole coloni
Alternis terram feriunt, & adorea flagris.
Fit clamor, resonat tellus rupesque propinquae,
Et paleae sursum strepitu jactantur inanes: 60
Laeta Ceres alto ridens despectat Olympo.
Umbra diem reliquum, somnus, librique, viaeque
Producunt, dum siccam aestu Canis excoquit urbem.
Verum, ubi caeruleis serus se se extulit undis
Vesper, & in caelum surgentia sidera vexit, 65
Vicina e specula, magni admirator Olympi,
Alta rupe sedens natis astra omnia monstro:
Accendoque animos patriae caelestis amore.
Illi admirari, & cognoscere sidera discunt
Cepheaque, Arctonque, & servantem plaustra Bootem.
Haec ergo praeferre urbi, & contemnere magna
Si possis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? etiam has sedes, haec limina magnus
NAUGERUS subiit, nec dedignatus adire est
BATTUS amor Musarum, ipsum quo tempore primus 75

Pana, atque antiquos cecinit Telluris amores.
Hic me etiam desueta Deae, medicumque, senemque
Carmina jusserunt canere, & ridere beato
Illudentem urbem, & male sani murmura vulgi.
Verum, haec GIBERTUS ne viderit ipse, caveto: 80
Ni forsan Bubulone animum, curasque relaxans
Propter aquam viridi laetus consederit herba
Qua placidus leni descendit Tartarus amne.
Scilicet hic numeros non aspernatur, & audit
Nos etiam, & nostram, quamvis sit rustica, Musam. 85
Verum, ubi se sibi restituit, mentemque recepit
Illam alto intentam caelo, seu sacra sacerdos
Munera obit, totum seu contemplatur Olympum,
Tum supra & Musas, & ruris Numina supra est,
Vitam agitans Divûm, Diis se caelestibus aequans. 90

IX.

IN MORTEM

ALIPRANDI MADRUTII.

IMPOSITUM quum te pheretro, miserande MADRUTI,
Cerneret illacrimans Caesar, circumque videret
Et spolia, & victis erepta ex hostibus arma,
Et modo victrices juxta moerere phalanges,
Quantum, inquit, tua Mors nostris inimica triumphis 5
Laetitiae, decorisque adimit! spes quanta futuri
Tecum, ALIPRANDE, cadit! Sed non tua vivida virtus,
Ut te hunc aspicerem, tua non promiserat aetas:

Sed

Sed fore, qui Solymis mecum atque Oriente ſubacto,
Barbaricis regum ſpoliis & mille trophaeis 10
Olim magna tui decorares templa Tridenti.
Invidit Mors tanta tibi. Vos nobile corpus
Ferte Ducis veſtri, juvenes, & reddite matri
Exanimi: ſed & haec miſerae ſolatia ferte,
Tantum ipſam peperiſſe virum, qui Caeſaris uſque 15
Et comes, & bene geſtarum pars maxima rerum,
Caeſaris ex animo nullo delebitur aevo.

X.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM

CARDINALEM AMPLISSIMUM.

PRISCAE virtutis, Romani & ſanguinis haeres,
FARNESI, quoniam nec Dii munuſcula laeta
Deſpiciunt, hominum ſpicas, ac ſerta roſarum,
Libaque, & exigui devotum turis honorem:
Tu quoque (ſi mores imitari, ac facta Deorum 5
Praecipue Heroum eſt) non dedignabere parva
FRASTORI quae dona tui natuſque, paterque,
Perpetui affectus monumenta, ac pignora mittunt,
Hos tibi patre Lyco, Scylla genitrice gemellos
Dat natus ſua dona canes. Scyllae inclyta origo 10
A Nilo eſt: Lycus a magno deſcendit Araxe.
Qui quondam Euganeas tranſmiſſi munus ad oras
Praeſtabant cunctis, ſive aprum figere morſu
Eſset opus, rapidum curſu ſeu vincere cervum.

Horum

Horum igitur ſobolem natus tibi ab ubere matris 15
Nutriit ablatam, & noſtris exercuit arvis
Venatu aſſiduo, & vires durante labore,
Noſtrorum famam nemorum, geminumque ferarum
Terrorem, nunc ille tibi quam mittit habendam,
Romanis eadem in campis ſi forte ſequetur 20
Gloria, & ignota fors in regione juvabit.
At genitor, nati cum munere, carmina mittit
Haec tibi: quae, quamquam triſti fugiente ſenecta
Laetitias cantuſque, tamen voluere Camoenae
In te unum, dominaeque mei, nimiumque potentes, 25
Ut canerem, Muſaque canes comitarer amica.
Ergo tot rerum curis, ac pondere tanto,
Quo premeris, dum rem Romanam, ac publica curas,
Si quando defeſsum animum, mentemque remittes
Liber, & ad dulces poteris te vertere Muſas, 30
Haec quoque noſtra leges: ea ſi dignabere tanti,
Inter Romanas ut eant ſpectanda Camoenas.
Quod ſi etiam recreare animum corpuſque juvabit
Venatu, & latos ſaltus ac denſa ferarum
Luſtra fatigare, & capreas agitare fugaces, 35
Tum canibus miſcere tuis, tecumque vocare
Ne pigeat nato miſſos. hirſutior ille
Cuncta niger, tantum pedibus & gutture canus,
Non invitus herum Tiberonis voce ſequetur.
Aſt Athiſo (namque hoc alter de flumine noſtro 40
Nomen habet) nec curſu impar, nec dente minaci
Segnior, anguineo ſuffuſus terga colore,
Frontem albo pictus diſcrimine, pictus & albo
Cervicem, caudamque imam, pectuſque, pedeſque,

Addi-

Addictus lateri numquam discedet herili: 45
Tantus amor domini: nisi forte cupidine praedae
Conspectae impatiens etiam retinacula rumpat.
Hic tu, vel pulchro Calaï, vel Tyndaridi alto
Polluci similis, silvas latratibus omnes
Complebis, rupesque hominum clamoribus altas, 50
Vectus equo Haemonio, & fulgenti clarus in ostro.
Attonitae visu discent nemora inter amare
Rusticae Hamadryades, discetis amare, Dianae
Insuetae Comites: volucri sed concitus ille
Fertur equo, vestrosque alio deportat amores, 55
Insequiturque feras. ah, ne illum accensa cupido
Venandi, excitos silvis impellat in ursos:
Ne in saevos impellat apros: tibi cura, Dione
Aeneadum genitrix, sit custodire Nepotem,
Et juvenem ilicea defessum sistere in umbra. 60
Sat silvis animoque datum est: illum sua Roma
Poscit, & exspectat lati res publica Mundi.
I, spes magna Urbis, rebusque vocantibus adsis.
Interea, quando mihi Divus habebere semper,
Ipse tibi CAPHIIS sacras in montibus aras 65
Instituam, qua se summo de vertice collis
Tollit, & aequatum Benaci prospicit aequor,
Et virides olea ripas, Patriamque Catulli.
Hic tibi solennemque diem, & renovanda quotannis
Sacra, tuo statuam semper de nomine dicta. 70
Tunc rosa, tunc violae, tunc purpurei hyacinthi,
Verbenaeque senem deceant, tunc texere flores,
Et viridem cano capiti imposuisse coronam,
Laetitiaque diem & multo producere Baccho,

Fal-

Fallentem ſenium, & curas de corde fugantem. 75
Forſitan & Muſarum aliqua, & tibi fautor Apollo
Plectra mihi, citharamque dabit: Deus ipſe canentem
Perque tuos annos, perque acta illuſtria ducet.
Infanti ut prima impellens cunabula Pallas
Accinuit cantu Grajo, cantuque Latino, 80
Scilicet & fari lingua aſſuefecit utraque.
Ut puerum Aonio perfuſum labra liquore,
Per dulces Muſarum hortos & amoena vireta
Perduxit, nunc Uranie, nunc Calliopea,
Nunc Clio monſtrante viam, nullaque Sororum 85
Non donante roſas, & ſerta virentia lauro.
Tum mores animumque dedit, ſenſumque ſenilem,
Atque Urbem regere, ac ſacro ſplendere galero.
Nec jam Roma capit, ſed lata in regna vocatum
Ad pacem Europae, non te maria alta fatigant, 90
Non juga, non toties ſuperatis nubibus Alpes.
Te Poeninae arces, celerem te Norica ſaxa
Spectarunt rapido montana per ardua curſu,
Quantum Sol caeli, tantum telluris obire
Matre Dea comitante, & iter monſtrante Nepoti. 95
Nec ſatis haec: majora urgent. Germania nuper
Grata Deo, nunc ingeniis elata ſuperbis
Detrectare jugum Imperii, & ſe opponere Patrum
Sanctorum placitis, & ſacris legibus audet:
Nec jam Pontificum, nec jam ullos Caeſaris audit 100
Infelix monitus, ſed laevo numine Divûm
Arma parat: ſocium Caeſar te poſcit in hoſtes,
Pro ſceptro Imperii, pro relligione Deorum.
Tunc primum attonitae gentes videre Latinae

Te,

Te, Fratremque tuum patria virtute, animiſque 105
Invictis pariter, res duri & munera belli
Tractantes: gemini quales duxiſſe feruntur
Tyndaridae pulchri Grajas in bella cohortes.
Tunc primum Romana acies, antiquaque virtus
Viſa ſuit: Ducibus tantis Mavortia pubes 110
Magnanimi Aeneadae, memores virtutis avitae
Bella cient: Italo pleni jam milite campi
Denſantur: jam procedunt longo ordine ſigna
Sublata in ventos, lateque inimica minantur.
Nec mora, jam ſummis Romanus miles, & arma 115
Alpibus apparent: concuſsae motibus illae
Fuderunt gemitus: longe vagus audiit Oenus,
Obriguitque gelu: riguerunt flumina Rheni,
Et pavidus fluxit demiſſis cornibus Hiſter.
Romanum ad nomen planxerunt pectora matres, 120
Caraque in Hercynias traxerunt pignora ſilvas.
Sed quo me rapitis, Muſae? quid facta revolvo
FARNESI? Majora animo jam concipe, teque
Impavidum, invictumque, aliis accinge triumphis.

XI.

XI.

AD EUMDEM

ILLUSTR. ET REVERENDISS. CARDINALEM

ALEXANDRUM FARNESIUM,

Cui Libros de Contagione dedicavit.

HAEC ego florentes Sophiae digressus in hortos,
Italiae decus o Juvenis, FARNESIA proles,
Condebam, lectasque tibi de more sacrabam
Primitias, dum tu magni inter Caesaris arma,
Gallorumque acies, recti pacisque sequester 5
Res miserae Europae fractas componis, & omne
Robur, & arma Dei Maumethem vertis in hostem,
Percurrisque omnem, veluti Sol aureus, Orbem.
Fortunate nimis, quem cunctae applausibus urbes
Excipiunt, Pacisque vocant Patremque, Deumque, 10
Inque caput, sacrosque sinus, humerosque, manusque
Et nigras violas, & candida lilia jactant.
Cui magna Italia, & terrarum maxima Roma
Assurgit, festosque dies, & sacra Nepoti,
Solennesque agitat pompas. densi undique circum 15
Stant populi, & studio ingenti, & clamore secundo
FARNENSUM genus omne, alto de sanguine ductum
Aeneadum longa serie, super aethera tollunt
Patres, atque Duces, & partos mille triumphos:

Assen-

Aſsenſu reſonat Tybris, & Tyrrhena reſultant 20
Litora: ſepteni reſponſant gaudia colles.
O nimium dilecta Deo, praelataque longe
Progenies, ſive imperiis & Marte regendae
Sint res Romanae, ſeu Relligionis habenis.
Atque equidem e fracto Imperio, Romaque cadente 25
Servatam hanc ſtirpem fato, ſtatuentibus & Diis
Crediderim, quo Romanum per ſecula nomen
Staret, & ara Dei, quae primum maxima magnis
Auſpiciis fundata fuit, ſit maxima ſemper.
Quo me, PAULLE, rapis, quo tuque Nepoſque vocatis 30
Laudibus heroum inſuetum? tu maximus ille es,
Uni cui Regni triplicis capite alta tiara
Conſurgit, cui ſumma uni terna illa poteſtas
Terrarum, Caelique data eſt, vaſtique Profundi,
Illorumque aperire fores, & claudere poſse, 35
Qui PETRI, CHRISTIQUE Ratem turbante procella
Ventorum varia, & remorum parte revulſa,
Tempeſtatem omnem, atque adverſos diſcutis Euros.
Nec ſanctam ſine honore ſinis, ſine remige certo
Fluctibus in tantis agitari turbine Cymbam, 40
Macte animo Romano, & macte ingentibus auſis.
At tibi quas, Juvenis fortunatiſſime, dignas
Attribuam laudes, generis ſpes altera tanti,
Inclyte ALEXANDER, puerum quem plurima Virtus,
Canaque conſurgens teneris Prudentia in annis, 45
Et ſpondens majora aſtris felicibus Aether
Ad ſummos meritum ante annos evexit honores,
Et ſacri geſtare dedit decora alta galeri?
En quantum de te ſacri ſibi Paſtor ovilis

Spon-

Spondet Avus tuus ille, animo quae gaudia verſat.
Forſitan & proprio non tam gaviſus honore,
Quam ſpe ſublatus, tanti & virtute Nepotis,
Neſcio quid majus praeſaga mente volutat:
Scilicet & gnarus fatorum, & praeſcius aevi
Venturi, illa videt felicia tempora, quum tu 55
Sede ſua, ſolioque Dei, Diis proximus ipſis
Conſideas, quum Pontifici tibi maximus Orbis
Gratetur, ſupplexque tuis ferat oſcula plantis.
O mihi poſtremae tantum dent Numina vitae,
Ipſe etiam ut tum te tremulus, confectus & annis 60
Aſpiciam, ſanctoſque pedes proſtratus adorem.
O & ſi poſſim canere, & tua dicere facta,
Et ventura novo tecum ſecla aurea Mundo.
Nam video ſub te victum, longeque fugatum
Maumethem ſe Caucaſeis includere portis: 65
At Pacem viridi redimitam tempora oliva
Ire per Europam magnam, atque inviſere terras:
Quam pia Relligio, & junctis Concordia dextris,
Et Probitas, & Amor recti comitentur euntem.
Salve, magne Tybri. Salve & tu, maxima rerum 70
Roma parens, ſalvete arces, colleſque Latini;
Aurea qui primi longo meminiſtis ab aevo
Secula, quum nulli variarent jugera ſulci,
Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſae
Praeberent dulci victum de robore glandes; 75
Et nunc venturis eadem ſperetis ab annis.

XII.

XII.

AD JULIUM III.

PONTIFICEM MAXIMUM.

MAXIME Divini Paſtor gregis, inclyte JULI,
In terris cui ſumma uni eſt conceſsa poteſtas,
Sceptra viceſque Dei gerere, & regna infera Ditis,
Caelorumque fores aperire, & claudere poſse:
Si tu, dum magnae Italiae, dum proſpicis omni 5
Europae, & vaſta Mundi ſub mole laboras,
Paulliſper potes a tantis ſecedere curis,
Et potes agreſtes paſtorum audire Camoenas,
Nunc aures adhibe placidas mihi: Nãque ego, quae Pan,
Pan magnus cecinit noſtros ventura ſub annos, 10
Nunc referam, tua, Magne Pater, pars maxima quorum eſt,
Cujus ab auſpiciis Parcae nova ſecula volvunt.
Nec te poeniteat paſtorem audire canentem,
Quando etiam Admeti tauros formoſus Apollo
Pavit ad Amphryſi ripas, tenuique cicuta 15
Non puduit cantare Deum ſub tegmine acerno:
Et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.
Scilicet & tu etiam poſt grandia nomina Paſtor
Diceris, atque hoc in primis cognomine gaudes,
Et pecudes curare ſoles, pecudumque magiſtros. 20
Forte ego, dum medio terras Sol excoquit aeſtu,
Ipſe Sueſsani paſtor puer incola campi

Ducebam paſtas viridi de valle capellas
In nemorum ſecreta, umbras & frigora quaerens,
Qua placidus curſu deſcendit in aequora Lyris. 25
Eſt lucus, priſci quem ſacravere Latini
Silvano: in cujus medio denſa ilice cinctum
Eſt pratum, agreſtes ubi Dii perſaepe videri
Audirique ſolent: hic capripedes Satyriſcos
Paſtorumque manum junctis per mutua palmis 30
In gyrum canere, & laetas agitare choreas
Invenio admirans. medius Pan magnus ovantem
Ad calamos, cantuſque regit ducitque coronam.
Dumque Deus canit ipſe, ſilet tum cetera pubes.
Dum ſilet ille, alii thiaſos, cantuſque, ſequentes 35
Inſtaurant, repetuntque Dei poſtrema canentis.
Ingeminat poſtrema nemus, reſpondet & Echo.
Tum me reſpiciens, mihi ſanguine proximus Anthus,
Anthus, Aquinatis paſtor gregis, huc, puer, inquit,
Huc ades, o Neore, & te his adjunge choreis: 40
Aut, ſpectare magis ſi te juvat, aggere ab illo
Proſpice, dum ſaturae ſua ducant otia caprae.
Cui ego: Quin potius juvet hoc de ceſpite veſtros
Spectantem luſus, molli requieſcere in herba.
Et tum forte Deus buccas ſandyce rubentes 45
Inflans, & picea frontem praecinctus acuta,
Ad calamos circumſiliens, haec carmina cantu
Fatidico inſanus latas fundebat ad auras:
Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni;
Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo. 50
Excipiunt juvenes, iterat nemus, aſſonat Echo:
Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.

Tum

Tum ſequitur Deus. ante tamen Rex magnus Olympi
Bellumque, horribilemque famem, diramque flagellis
Armatam Alecto e tenebris, & faucibus Orci 55
Immittet terris, genus ut mortale coërcens
Caſtiget, fraudeſque hominum, faſtuſque ſuperbos,
Et luxus, & ſpes miſeras, & gaudia vana:
Dum tandem ſe ſe, atque Deos cognoſcere diſcant.
Mox tantum exſpectatum illud, quod carmine ſacro 60
Tot Vates cecinere pii, felicibus aſtris
Adveniet tempus, quo MONS ille arduus, ille
MONS ingens, ſublime caput ſuper omnia tollat
Culmina, ſidereum qui vertice tangat Olympum:
Quo neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes. 65
Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni;
Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Hoc in MONTE Dei pecudes paſcentur & agni,
Graminis aeterni pingues, & velleris aurei.
Exſilient & aquae vivae, quibus ubera caprae 70
Grandia diſtendant, diſtendant ubera vaccae.
Non malus hic ſerpens, non noxia creverit herba,
Non ſentes, ſteriliſve filix, non frigida taxus,
Sed bis lecta ſeges, ſed bis gravis uva racemis:
Corticibuſque cavae ſudabunt balſama pinus. 75
Hinc magnis praeſtantem animis, & fortibus auſis
Fortunata nimis Paſtorem haec ſecula habebunt,
Qui virtute regat populos, & legibus aequi,
Divinas qui paſcat oves, & paſcua late
Extendat, pecudeſque ipſas, & ovilia ſervet. 80
Hic primum diram Alecto, & Cocytia monſtra
Caucaſea aerata religabit rupe catena.

Inde famem miseram e Latio populisque Deorum
Pellet in hostiles gentes, & barbara regna.
Tum laeta Ubertas, segetumque onerata maniplis 85
Alma Ceres Italas spicis venerabitur aras:
Quam circum pueri salient, & rustica pubes,
Ridentesque jocos, incomtaque carmina dicent.
At noti Musis Damones & Alphesiboei
Vota Patri magno, laudesque & sacra canentes 90
Aeternis illum numeris ad sidera tollent,
Heroëmque, Deumque, salutiferumque vocabunt.
Dicite io, Satyrisci, & io geminate, coloni;
Aurea felici nascuntur secula Mundo.
Ille animum mox ad pacem, & discordia regum 95
Pectora convertet, sanctisque hortatibus iras,
Atque odia, & caecos regnorum & laudis amores,
Horrendamque sitim caedis, fusique cruoris
Sedabit, pelletque feri mala semina belli.
Tum Pax alma ferens ramos felicis olivae, 100
Atque Amor, & junctis pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, & generis Hymenaeus amator
Invisent late populos, Latiique per arva
Laetitiam, risusque ferent: tum justa cupido
Bellorum, piaque arma, Dei vertentur in hostes. 105
Jam video augustis late plena aequora velis
Fervere, jam trepidare vagi septem ostia Nili,
Euphratemque, Tygrimque suo se condere in amne.
Jam nec Bactra ipsum capiunt, non India tota
Maumethem fugiẽtem, ipsum non Caucasus ingens, 110
Non qui tot silvas, juga tot comprendit Imavus.
Dicite io, Satyrisci, & io geminate, coloni;

Aurea

Aurea felici nascuntur secula Mundo.
Quaenam, quae properant tantae per caerula puppes
Devotae ad Tiberim, magnaeque ad moenia Romae,
Ceu densae ad nidos latum per inane columbae?
Agnosco gentem innocuam, numerumque beatum,
Felices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quae caelo olim, Divisque fruantur.
En jam sanctam Urbem, jam septem in collibus aras 120
Impositas, summique pedes Pastoris adorant.
Hos inter, video, & nostri longa aequora sulcant
Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva
Arcades. o soli quondam cantare periti
Pastores, quos Justitia e tellure recedens 125
Postremos liquit, nunc rursus laeta revisit.
O sancti, properate; vocat Deus aethere ab alto:
Vos alius jam grex, aliudque exspectat ovile.
Quin venit illa dies, quum nos quoque Maenala nostra,
Arcadiamque omnem, qua immani a gente repulsi 130
Fugimus in Latium, longo post tempore tandem
Visamus, dulcemque auram. o placidissime Peneu,
O Ladon, vos o gelidi pineta Lycaei,
Quando ego per vestros meditabor carmina lucos?
Maenalios quando recinet mea tibia versus? 135
Maenalus auritas, dantesque oracula quercus
Semper habet, semper doctas ille audit avenas.
Concipe Maenalios, mea tibia, concipe versus.
Talia cantabat memorans Pan magnus: at Anthus
Haec referes, puer, inquit, & hoc tibi munus habeto 140
Nunc parvum: ventura dies majora reservat.
Tum mihi fiscellam dono dedit optimus Anthus,

Dicere & occaſus aſtrorum, dicere & ortus,
Et quid quaeque ferat tellus, quae commoda Baccho,
Quae Cereri, quidnam ventos, quid nunciet imbres, 145
Quae tempeſtatum, caeli quae ſigna ſereni:
Denique quae cunctis natura ſit indita rebus.
Virtutem in primis & honeſtum, quemque docere,
Ac vitii ipſe expers, aliena notare paratus.
Et jam tempus erat paſtum deducere capras. 150

XIII.

INCIDENS.

BATTUS amor Dryadum defunctum paſtor IOLAM
Flebat. eum Fontes, Alpinaque Numina circum,
Sarcaque, pumiceoque ſedens Benacus ab antro
Moerentem lacrimis conſolabantur obortis:
Ille autem nulla accipiens ſolamina, tantum 5
Deſerta ſub rupe, in litoribus Benaci,
Talia nequidquam ſurdas jactabat ad undas.
Immites Divi, & crudeles vos quoque Parcae,
Crudeles nimium Parcae: vos ibitis amnes,
Aëriae ſtabunt rupes: nuſquam amplius ipſe 10
His terris, numquam hoc caelo agnoſcetur IOLAS
Ut cecidit? ſemel in pratis ut purpureus flos,
Quem tetigit vel hiems, vel iniquo Seirius aſtro.
Currite jam, fluviorum undae, & producite vitam,
Et, rupes, durate: tamen non alter IOLAS 15
Hos pecus in montes, non haec ad flumina ducet.

XIV.

XIV.

INCIDENS

AD JOANNEM BAPTISTAM

TURRIANUM, VERONENSEM.

ILLA colum exercens ſaxo conſedit aprico,
Laeta tepore novo, & liquefacta Sole pruina:
At juxta nemore in magno grex paſcitur omnis.

XV.

HIEMS.

AD EUMDEM.

FRIGIDUS at ſilvis Aquilo ſi increverit, aut ſi
Hiberni pluviis deſcendent nubibus imbres,
Nos habeat domus, & multo lar luceat igne.
Upilio ingentem aut fagum, vel ſciſſile robur
Sufficiat, tum vos, claro quando igne ſoletis, 5
Juniperi, ſuaves circum diffundere odores,
Et vos, Palladiae, flammis imponat, olivae.
Ante focum tibi parvus erit, qui ludat, IULUS,
Blanditias ferat, & nondum conſtantia verba.
Ipſe legam magni tecum monumenta Maronis. 10
O fortunatos nimium, ſi fata, quod aevi
Nos manet, hanc una dederint producere vitam.

XVI.

VER.

AD EUMDEM.

JAM veniet Ver purpureum, juveniſque revertens
Annus aget Zephyros, & caelo deſuper alto
Deducet pleno genitalia ſemina cornu:
Unde hominum genus, & pecudum, vitaeque natantum,
Et pictae volucres, & amantes roſcida plantae 5
In Venerem caeco aeterni rapiuntur amore.
Gaudete, o quicumque bonum ſperatis, agreſtes,
Quorum amor eſt ſobolis, ſtudiumque nepotibus arva
Incolere, & parvas ulmis attollere vites:
Annus io, novus annus adeſt: mutatur & aetas, 10
Et meliora novo naſcuntur ſecula Mundo.
Bella pater procul, & diras Saturnus Erinnes
Arcebit caro e Latio, ac ſub Tartara mittet.
Tum Lethum, & caecus Furor, & veſana Cupido
Perpetuis extra terras religata catenis 15
Perſolvent poenas ſcelerum: at Pax alta per omnem
Italiam magno populos ſub Caeſare viſet.
Ille autem inſignis ſpoliis, & mille trophaeis
Inſtituet feſtos alta ad Capitolia ludos.
Stabit onuſta ingens, Tarpeji ad limina templi 20
Quercus honore ſacra, & praenuncia temporis aurei.
Tum veſcae glandes, tum terra ſponte ferente
Omnia: comparibus disjunget colla juvencis

Agri-

Agricola, & rudibus mirabitur hordea ſulcis
Sponte adolere ſua, & nullo frumenta colono 25
Undantem laetis ſegetem flaveſcere campis.
Noctibus in ſilvas & mollia prata ſerenis
Aetherio dulcem commixtum nectare rorem
Sudabit caelum: tenera qui lectus ab herba
Mortales ſaturet menſa dapibuſque Deorum. 30
Salve, magne Tybri, & vos, natae Tybride Nymphae,
Tuque, ſenex pater Eridane, & qui flumine Tuſco,
Benace, in noſtro placidus perlaberis agro.
Tuque, Atheſis, cunctique amnes ſalvete Latini,
Diique omnes magnae Heſperiae, qui ſecula ſoli 35
Aurea Saturni primo meminiſtis ab aevo:
Quum ſepes vel limes adhuc communibus agris
Non foret, aut ulli variarent jugera ſulci;
Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſae
Praeberent dulci victum de robore glandes. 40

XVII.

INCIDENS AD EUMDEM.

QUARUM pars brumae impatiens, & condita terrae,
Exſpectat ver egelidum, flatuſque Favonii:
Pars paſſura hiemem, laeta ab radice vireſcit,
Emittitque comam, ſiculumque atque altera beta,
Atque ari virides, & odoriferae calaminthae, 5
Atque olus, atque rumex, & ſalſi gramina crithmi.
Quas inter ſuaves molleſque aſpirat odores
Nunc decus hortorum, menta: at, ſi vera loquuntur,

Nym-

Nympharum quondam pulcherrima Grajugenarum.
Tum juvat & frondes apii, & ſiſymbria laeta, 10
Intubaque, & toto florentes frigore ſonchos
Incolere, atque hortis Aquilonem arcere nocentem.

XVIII.

ALIUD.

NOx venit, & paſtae redeunt ad tecta capellae.
Prae caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore ſetae.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui baltea fuſo. 5
At mater longaeva, igni dum braſſica fervet,
Mulctra effert, gravidoque recens lac ubere mulget.
Ruſticus interea pinguis collector olivae,
Interea & validus prima de nocte bubulcus
Advenere domum: congeſta tum focus orno 10
Ingenti, aut fago, vel fragmine roboris, ardet.
Tolluntur laetae flammae, lateque relucent.

XIX.

ALIUD INCIDENS AD EUMDEM.

AT nemora, & liquidis manantia fontibus arva,
Et placidus myrteta inter, lauroſque virentes
Vicinus nitido Benacus labitur amne.
At focus, & circum pueri, vernaeque canentes,

Dum

Dum caena undanti coquitur ſilveſtris aheno, 5
Grandiaque exurunt crepitantes robora flammae,
Suſpenſae e ſummis pendent laquearibus uvae,
Malaque, caſtaneaeque, & paſſo fiſtula ventre.
Hiberna de nocte, boum ſtabula alta petuntur.
Una omnes matreſque, virique, omniſque juventus 10
Inſomnem exercent noctem: pars penſa fatigat:
Pars texit teneros Amerino vimine qualos:
Atque anus hic aliqua interea, dum vellera carpit,
Et teretem tremulo propellit pollice fuſum,
Languentes oculos fabella fallit inani. 15

XX.

ALIUD.

MANE domi validos pluvia ut concluſit agreſtes,
Caeditur iliceo diſtenta ſagimine porca.
Laeta domus. tum ſollicita in farcimine mater
Pingue ſuis niveum, & diſſecti fruſta cerebri,
Et niveum lac purpureo cum ſanguine miſcet. 5
Tum ſemen marathri, atque arentis gramina thymbrae
Adjicit, & coli inſperſo ſale concava complet.

XXI.

XXI.

IN NATALEM DIEM

JANI FREGOSII, CAESARIS F.

SACRORUM si plena Deo sunt pectora vatum,
Si norunt triplices fata futura Deae:
Fortunate Infans, verus tibi gloria vates,
Grandia concordes concinuere Deae.
Ecce tuo felix nasci novus annus ab ortu 5
Incipit, atque omen nomine habere tuo.
Cresce cito, magnique Patris mirarier acta
Incipe, & invicti CAESARIS arma sequi.
Tempus erit, tibi quum partis jam mille trophaeis,
Et fessi rebus compositis Latii, 10
Barbaricis captis opibus, Ducibusque subactis
Multa tibi circum tempora laurus eat.
Tum laeta ante tuum stabit Victoria templum,
Claudet & aerata limina ahena sera.

XXII.

XXII.

DE PARTU VICTORIAE FARNESIAE GUIDI UBALDI FERETRII.

Urbini Ducis, Conjugis.

LUCINAE Junonis opem VICTORIA ſupplex
Quum peteret, placido ſic ait ore Dea:
Sis licet Aeneadum & Veneris de ſanguine avito
Nata, Puella, tamen digna favore meo es.
Quam Charites tanto junctae comitantur honore, 5
Grandia quam Parcae fata manere canunt.
Quippe ubi Junonis flos & Saturnia quercus
Jungantur, fauſtis currere Iſauron aquis,
Promittique tibi ſoboiem, qua priſtina virtus
Italiae, & priſcus reſtituatur honos. 10
Naſcere, magne Puer, Patremque imitatus Avoſque,
Magna aude. non vos Umbria magna capit.
Et jam Infans ſanctaſque manus, Divamque ſecutus
Optati in lumen aetheris exierat.
Ergo & quod potuit, riſu agnovitque Parentem, 15
Praeſentiſque dedit nuncia ſigna Deae.

XXIII.

TUMULUS FRANCISCI MARII

MOLSAE MUTINENSIS.

QUOD MOLSAE fuerat mortale, hac conditur urna,
Exſtruxere ſuis quam Aonides manibus.
Coetibus at Superûm fruitur nitidiſſimus almis,
Itque comes magno ſpiritus HIPPOLYTO,
Quem MEDICA de gente ſatum pulcherrima Virtus
Extulit, & caeli templa tenere dedit.
Quemque unum ante omnes coluit dum fata ſinebant,
Atque oculis Vates praetulit ipſe ſuis.

XXIV.

AD JOANNEM LIPOMANUM,

ex Veronenſi Praetura decedentem.

HADRIACUM, LIPOMANE, Atheſis dum curret in aequor,
Dum meritis reddetur honos & gratia, ſemper
Praetori tibi debebit Verona, patrique
Linquenti monumenta annos manſura per omnes.
Illa tibi ſemper divinos ſolvet honores, 5
Et condet tua perpetuis annalibus acta.

I, ſpes

I, ſpes o Venetûm, & quem jam moderamina parva
Non capiunt, i, te majoribus inſere ſceptris:
Et lacrimas, & vota, quibus comitamur euntem
Accipe, diſceſſuſque tui dona ultima porta.

XXV.

IN MORTEM

JOANNIS BAPTISTAE MONTANI,

MEDICI VERONENSIS.

DUM medica, MONTANE, doces ope vincere fata,
Et Lacheſi invita vivere poſſe diu,
Laethaeo indignans preſſit te Parca ſopore,
Et ſecuit vitae grandia fila tuae.
Sic, animas & tu, Aſclepi, dum ſubtrahis Orco, 5
Te quoque ſaevorum perdidit ira Deûm.

XXVI.

AD JO. MATTHAEUM GIBERTUM,

EPISCOPUM VERONENSEM.

MELSINEAE rupes, ſubjectaque litora Tuſci
Quae ſuprema ſonans alluis unda lacus.
Annuite: agreſtem dum, votum pauperis, aram
E vivo Thyrſis ceſpite tollit humo.

Nunc

Nunc herba ſtruit, atque hederis & floribus ornat: 5
Et, GIBERTE, tibi ruſtica ſacra facit.
Aſt olim auratam niveus tibi taurus ad aram
Cornibus auratis victima magna cadet.

XXVII.

AD EUMDEM.

NAJADES hoc, GIBERTE, tibi Benacides antrum,
Et qui muſcoſo fons cadit e lapide,
Sacravere. tibi ſit cura & fontis & antri:
Et quandoque Deus ad tua ſacra veni.
Et ſacer eſt, & habet ſpirantes ſuaviter auras 5
Hortus: & eſt nullo gratior umbra loco:
Et nuſquam eſt longaeva mage, & felicior arbos,
Pulcher Adoni, tua; pulcher Apollo, tua.
Hic canere, & tenuem poſſe exercere Camoenam
Ille dedit: ſanctus qui mihi ſemper erit. 10
Hic herbas, ſuccoſque tuos, artemque relinquo,
Phoebe: ſoles Muſas tu quoque amare magis.

XXVIII.

AD EUMDEM.

IPSA tibi, GIBERTE Deus, lego lychnida Leuce
Melſineis Leuce cognita litoribus.
Et pulchram cyanum, & canentia lilia necto:
Illa colore magis, haec & odore placent.

Roma

Roma caput ſacro decoret tibi magna galero: 5
Non tamen & Leuce, non ſua ſerta dabit.

XXIX.

AD EUMDEM.

ET laurum, & citrum hanc teneram de matre revulſam
GIBERTO ſacram Thyrſis utramque ſerit.
Hanc, Venus, aſt illam Juveni ſervabis, Apollo,
Ne noceant aeſtus, ne noceatve gelu.
Tu quoque Benaci vicino, Naïs, ab amne 5
Clam gelidas teneris frondibus affer aquas:
Dumque feres, dic: Sancte, humili tibi nunc Dea rivo,
Quum venies, toto ſerviet amne tibi.

XXX.

DE MARSANGO

FLUVIOLO, PROPE VILLAM

JOANNIS BAPTISTAE RHAMNUSII,

in Agro Patavino.

QUI te populea cingit, MARSANGE, corona,
Dulce ut in umbroſis cornibus aura ſonet:
Ac ne umquam inficiat lutulenti ſordida plauſtri
Te rota, ſub firmo dat tibi ponte viam,

Vicinae cultor villae, RHAMNUSIUS, horti, 5
Agrique, & dominus ripae utriusque rogat;
Lenis vere flue, atque nivali providus undae
Arida in aestivi sidera parce Canis.
Sic tibi grata Nape geminabit serta quotannis,
Et tua par magnis amnibus ibit aqua. 10

XXXI.

DE EODEM.

QUI modo fons, MARSANGE, humilis, modo cornibus ingens
Per salicum rapido laberis amne nemus.
Vere novo, MARSANGE, mihi flue lenior undis;
Uberior, sitiens quum coquit arva Canis.
Frigentes aestate tibi RHAMNUSIUS umbras 5
Sparget, & ad gelidas ipse sedebit aquas.
Vere rosam violasque feret: pictasque corollas
Pulchra tibi hinc Naïs, hinc Galatea dabit.

Quae

Quae ſequuntur, ſumta ſunt de libris, quos FRACASTORIUS ſoluta oratione conſcripſit.

In calce Homocentricorum.

Sed jam me rapidi diverſa volumina caeli
Dimenſum ſatis, & numquam requieta ſecutum
Sidera, per varios curſus varioſque recurſus,
Hac juvet inſudaſſe tenus: nunc ultima feſſum
Accipiat, finemque meo det meta labori. 5
Vos aeterni orbes, aeternique aetheris ignes,
Qui tacito circum labentes tempora curſu
Ducitis, & longum per ſecula volvitis aevum,
Si non aeternum (neque enim fas poſcere tantum)
At ſaltem durare diu, & producere vitam 10
Hoc concedite opus, videant ut veſtra nepotes
Secula, & aeternis vos admirentur ab annis.
Mirenturque vias, quum jam non tramite ſueto
Curret iter ſolitum Titan, ſed purpureum ver
Et juvenem ſignis converſis invehet annum. 15
Tuque etiam, ſeu te tua tanta inventa, novoſque
Admirantem orbes, puro fulgentia caelo
Templa tenent, ſeu Threïciae teſtudinis audens
Tangere ebur plectris, numeros & carmina dictas,
Qua via ſidereo candeſcit lactea caelo, 20
TURRI, ades, inventiſque tuis, noſtroque labori
Da, ſancte, augurium, atque optatis annue noſtris.

Postremo Capite Libri Primi de Contagiosis Morbis.

Saepe exiguus mus
Augurium tibi triste dabit, tellure sub ima
Quem non ullus amor tenuit, sed in aëra apertum
Erupit scrobibus, vitaeque, atque immemor usus,
Et parvos natos, & dulcia tecta reliquit. 5
Ipsa etiam tellus ceu non ignara futuri,
Quum tremit, atque intus gravida suspirat ab alvo,
Signa dabit: tremuere urbes, & vertice toto
Formidavit Athos, timuitque sub aequore Nereus.

Capite Septimo Libri Tertii de iisdem.

Proderit & latos stipularum incendere campos,
Et nemora intacta, & sanctos exurere lucos.

Dialogo de Poëtica.

Huc ades, o Thelayra: quid ah quid grandia farra
Aestivo sub Sole teris, medioque sub aestu,
Nec parcis tibi, saeva? ah te ne immitis adurat
Seirius: ah teneras ne rumpat pustula palmas.
Demens, o Thelayra, patri concede laborem, 5
Cui Cereris cura est: melior te cura Diones
Sollicitet. tu, dum fervet tritura sub aestu,
Dum crepitat seges, & multo sonat area pulsu,
Clam te operi furare, & aquas effinge ferendas.
Hic nitidus fons est: hic plurima populus umbram 10
Suffi-

Sufficit, & gelidae ſummittit frigora ripae.
Vos aurae, Alpinis placidae de montibus aurae,
Haec illi portate: aut, ſi pater obſtat eunti,
Saltem aeſtum lenite, gravem lenite laborem.

Libro Primo de Intellectione.

Natalem, Thelayra, tuum lux craſtina reddet.
Craſtina lux mihi ſancta. tuos age, Lucifer, ortus
Profer, & Auroram propero dux evehe curru:
Evehe, ſed ſero tardus cede, Heſpere, caelo,
Longa ut eat, felixque dies. lege lychnida, Leuce, 5
Et viridem violis intexito amaracon albis.
Serta duo mihi necte: unum, quod poſtibus ipſe
Appendam, Thelayra, tuis, mea maxima dona
Nota tibi: aſt aliud, quod feſta luce laborum
Immunes decoret plena ad praeſepia tauros. 10
Tu vulgo Venerique palam formoſa videnda
Comtaque, ſed clam pulchra tuo, ſed comta Myconi
Incedes, tacitiſque Deam venerabere votis,
Ut mea tu, tuus ipſe ut ſim: Dea maxima votis
Annuet. at tu omnem, Thelayra, abrumpe pudorem 15
Tum, quum exſpectatum difflabit tibia cantum,
Ardenteſque ſono in choreas accendet amantes.
Tum dextram laevamque manus jungamus amicas,
Invideantque omnes, neque enim te doctior uſquam
Ulla ſalit, non ipſa Iole, non nata Lycotae. 20
Me vero quales in caelum tollere ſaltus
Aſpicies, Thelayra! modo & te flectere in orbem,
Et modo te contra ſtantem mira arte movere

Ante retroque pedes, ſpatio nec cedere ab uno!
Ipſa Venus caelo ridens ſpectabit ab alto. 25

Eodem Libro.

Ollis divina ſuper mens
Aſtat, magna, micans: cujus radiata nitore,
Quae fuerant obſcura prius ſimulacra, repente
Fiunt coram anima, claraque in luce refulgent.
Non aliter, quam quae caeca ſub nocte tenentur, 5
Si feriat rutilum Solis jubar, omnia late
Splendeſcunt, pulchraque petunt in luce videri.

In calce ejuſdem Libri.

Lyncas nec acres advehe, neu gere
Thyrſos, venuſtum nec tege caſſide
Horrente vultum, ſed tenero veni
Cinctus tempora pampino:
Tuiſque mitis & placidus ſacris 5
Adeſto, qualem te memorant, jugo
Bactris ſubactis, in medio Deûm
Convivam Jove cum patre
Sediſſe, circum Diis reſonantibus
Euoë: pharetra quum poſita tuas 10
Laudes eburna grandiloquus lyra
Latona cecinit ſatus.
Ereptus igne ut fulmineo Jovis
Bis natus infans duceris ad Deos,

At

At tibi magnis plauſibus omnium ad- 15
riſit Caelicolûm cohors.
Namque ore pulchro talis erat color,
Rubente qualis enitet in roſa.
Tum prominebat exſilientibus
Sacrum corniculis caput. 20
Tyrrhenus ut te navita deprecans
Sero, furoris, numinis & tui
Expertus iras ſquammeus in mare
Piſcis deſiliit rate.
Senſit Lycurgus vitibus impiam 25
Auſus ſecurim immittere: ſenſit &
Cohors Gigantum trudere tum rata
Alto Caelicolas polo.
Tu Gange victo miles ab ultimis
Indis triumphos victor io refers: 30
Et redeunti Suſa & Achaemenes
Aras conſtituunt tibi.
Fremunt in altis orgia montibus
Euoë: ſolutae per juga Thyades
Crines in auras, raucisonis replent 35
Altum cornibus aethera.

Libro Secundo de Intellectione.

Carpe fugam, Galatea; ferus petit aequora Cyclops:
Carpe fugam, pelagoque procul ſpeculator ab alto,
Te quis amat, dignumque tuo ſe cenſet amore.
Humano primum rorantem ſanguine barbam,
Et foedum os, oculumque unum, quem fronte patentem

Ipſe gerit media, multo lavere aequore cernes:
Pectere dein raſtro crines, apioque virenti
Aſſimiles, laudare: ſilens tum conſulere aequor,
Et ſe ſpectatis formoſum dicere ab undis.
Te vero, Galatea, quod hunc contemnis amantem, 10
Nec pecoris numerum, nec avenae ſibila curas,
Crudelem, & piſtri natam Scyllaque vocare:
Crudeleſque Deos: ſi Dii tamen aethere in alto
Vel mare ſunt aliqui; neque enim ſe poſſe putare
Ullos eſſe Deos. demum tibi dira minari. 15
Nam fore, ut ictu uno magno cum fragmine montis
Teque tuumque Acim medium diſperdat in aequor.
At tu tuta mari magno, Cyclopis amores
Deſpiciens, ridenſque minas, & inania verba,
In noſtros, Galatea, ſinus, formoſa, recurre. 20
Ille inter pecudes & amore uratur, & Aetna.

Eodem Libro.

Telamonius Ajax
Arma rapit, Superoſque furens in praelia poſcit.
Jamque hominum hos nunc inſequitur, nunc percutit illos.
At tacitus moerenſque hominum conſortia vitans
Bellerophon ſolos errat male ſanus in agros: 5
Bellerophon, quem Martis honos, quem gloria curruum
Per deſerta fugit, nec amor comitatur equorum.

Dia-

Dialogo de Anima, non procul ab initio.

Ne timeas, Trojane Puer, quod in ardua tantum
Tolleris a terra: quod roſtro, atque unguibus uncis
Te complexa ferox volucris per inania portat.
Audiſtine umquam ſublimis nomen Olympi?
Audiſtine Jovis tonitru, qui fulmina torquet, 5
Qui pluit in terras, cui templa araſque dicatis
Vos homines, tauroſque tua mactatis in Ida,
Quique etiam veſtri eſt, ſi neſcis, ſanguinis auctor?
Ille ego ſum. non te haec volucris, ſed Jupiter eſt, qui
Haud praeda captus, cari ſed amore Nepotis 10
In ſummum amplexu innocuo te portat Olympum:
Aſtra ubi tot ſpectare ſoles, ubi pulcher obit Sol
Ortuſque occaſuſque ſuos, ubi candida noctes
Currit Luna nitens, Auroram Lucifer anteit.
Hic ego te in numero Superûm, domibuſque Deorum,
Ver ubi perpetuum, felix ubi degitur aetas,
Aeterna & ſemper viridis florenſque juventa,
Conſiſtam: aequalemque annis pubentibus Heben
Officioque dabo comitem, qui pocula nobis
Laeta miniſtretis. reliquum caeleſtibus una 20
Aſtragalis choreiſque diem exercere licebit.
Pone metum, dilecte Jovi, melioraque longe
Proſpiciens, caram, Puer, obliviſcere Trojam:
Neve Deum te jam, & Divorum regna petentem
Ulla canum, aut Idae nemoroſae cura ſequatur. 25

Eodem

Eodem Dialogo.

PSYCHE.

Huc, Amor o dilecte, ades, o dilecte Cupido:
Formosum tua te PSYCHE formosa requirit,
Et poscit te Dia Deum, puerumque puella.
O tibi tam similis si te peramatque cupitque,
Nonne & amabis Amor illam, cupiesque Cupido? 5
Est eadem nobis patria: est caelestis origo
Ab Jove: nos terris pariter, nos aethere in alto
Versamur pariter, conjunctaque munera obimus.
Ipsa bonum pulchrumque modis in pectora miris
Insinuo, tu corda feris, tu suggeris ignes, 10
Accendisque ardore novo: genus unde animantum
Concipitur, crescitque, sua & connubia jungit.
Me miseram, quod & ipsa meis in me artibus usa
Ah nimium tenera, & pulchro nimis apta moveri,
Ut te conspexi, ut novi, pulcherrime rerum, 15
Continuo facibusque tuis, & Amoris amore
Exarsi. juvat hoc, paribus si & tu ignibus ardes.
Tolle, Puer, vittas, atque in me lumina solve,
Nempe & amabis Amor pulchram, cupiesque Cupido.
Ipsa tibi tenuem, qua cingas tempora, vittam 20
Intertextam auro, & molli bombyce laboro:
Pictus ubi Narcissus hiat, Maeander oberrat.
Hic ego te latas terras, atque alta volatu
Nubila tranantem fingo, & maria uda secantem:
Cuncta tibi imperio subdentem, hominesque, ferasque,

Et

Et pictas volucres, &, quae nant aequore, monstra.
Diis quoque nec parcis: curru rex Jupiter aureo
Invehitur, cinctus humeros & brachia ferro.
Quos inter tua PSYCHE etiam religata catenis
It moerens, sequiturque tuos captiva triumphos. 30

Vetus Epigramma, in calce Sententiae de Vini temperatura.

Infantem Nymphae Bacchum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum sub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa est,
Sejunctus quod sit ignis, & urat adhuc.

HIERONYMI FRACASTORII

Carminum Finis.

ILLU-

OLIM PARVUS ERAM, VIXQUE ULLI COGNITUS AMNIS:
IT MEA NUNC TUMIDO LYMPHA SUPERBA PEDE.

ARGUTOS ETENIM PAVI NAUCELUS OLORES,
QUI SE, MEQUE SUO CARMINE IN ASTRA FERANT.

ILLUSTRIUM ALIQUOT POETARUM CARMINA AD FRACASTORIUM, ET DE FRACASTORIO.

ANTONII MARII.

FRASTORI venerande, anima mihi carior ipsa,
Ut valeas, quidnam juncto pede, quidve soluto
Scribas, scire velim, dum te Marpesia celso
Colle tenet, placidi sectantem commoda ruris.
An medicas herbas Phoebo monstrante per agros
Colligis, ut caros cives a funere serves?
An Dryadum mistus choreis, Faunisque jocosis
Agresti ludis calamo: quae Tityrus olim
Cantet, & umbroso miretur Naïs ab antro?
An potius volucri raptus super aethera mente,
Colloquio frueris TURRII, secumque vagaris,
Ignotasque vias stellarum, orbesque tueris
Ignotos, veterumque palam commenta refutas?
Felix, quem populi de tempestatibus atris
Ereptum, claro sistit Sapientia caelo.
At nos indoctae sequimur vestigia turbae,
Parvaque miramur, quia numquam cernere magna
Contigit. hinc vana deludit imagine mentem

Aut

Aut ſpes, aut metus: invadit nunc falſa voluptas,
Nunc falſus dolor. in primis me torva feroci
Pauperies vultu terret, ceu triſtis Erinnys,
Quum pavidum flammis ultricibus urget Oreſtem.
Saepe loquor mecum, tacituſque haec corde voluto:
Incipe ſorte tua contentus vivere, teque
Liber, & impavidus fortunae oppone ſuperbae.
Nemo pauperie miſer eſt, aurove beatus.
Oppreſſum morbo Chromilum de paupere lecto
Transfer in auratos thalamos, & ſtragula picta,
Non tamen aegroto decedet corpore febris.
Impatiens, aeſtuque amens vigilabit. at idem,
Quum validus ſilvis apros venatur, in alta
Hibernas noctes nive dormit ſuaviter. aegrum
Sic animum nec divitiae ſanare valebunt,
Nec mentem ſanam vel magna offendere egeſtas.
Quare age, ſi carus Superis, ſi carus amicis
Eſſe velis, animum ſemper cole: cetera mitte.
Cuncta poteſt ſpreviſſe aliquis, nemo omnia habere.
Ille opibus vincet Craeſos, illi fluet Hermus,
Cui licuit contemnere opes. ſunt denique certae
Divitiae, Virtus, Sapientia: quas neque bellum,
Nec mors ſuprema potis eſt rapuiſſe favilla.
Haec mecum. Sed cuncta fluunt animo, ſimulatque
Tabentes artus, & commoda multa volentem
Aſpicio miſeram juvenili in flore ſenectam.
Crudeles Parcae, dulcis nec dona juventae
Carpere, nec lentos ſinitis finire dolores.
Non mea vos pietas, tremuli non vota parentis,
Non lacrimae veſtras potuerunt flectere mentes.

At

At tu, quem Phoebus letales pellere morbos
Edocuit, citharaque amnes cantuque morari,
Huc ades, o FRASTORI, aversaque Numina flecte
Carminibus, tabemque meo de corpore pelle.

MARCI ANTONII FLAMINII.

FRASTORI venerande, cui medendi
Usum pulcher Apollo, carminisque
Artem donat habere, nonne cernis,
Tuum FLAMINIUM perire dira
Tabe? Non recreat cibus misellum,
Non grata vigiles quiete ocelli
Teguntur: macie vides suprema
Corpus confici, ut umbra inanis esse
Jam plane videar, modisque miris
Pallor occupat ora, languidosque
Artus vix traho, nec juvare possunt
Dulci carmine candidae Camoenae,
Nec blando alloquio boni sodales:
Ipsa sed mihi lux amara, & atrae
Noctis tempora sunt amariora
Felle, & Thessaliae malis venenis.
At tu, candide amice, vel sodali
Fer tuo auxilium, vel ipsa morbi
Si vis tabifici recepta venis,
Humanis opibus, magistrae & arti
Nescit cedere, carminum tuorum
Lepore advoca Apollinem, rogaque,
Ne prima miserum sinat juventa
Tam crudeliter interire. cur ah

Culto-

Cultorem patitur suum sub ipso
Flore aetatis abire moestum ad umbras
Pallentes Erebi? quid ergo prodest
Ipsi, & Aoniis suis puellis
Cuncta posthabuisse? quidve prodest
Vita puriter acta? nunc misello
Nunc o subvenias, Apollo sancte,
Et preces teneri tui Poëtae
Audi dexter, opaca sive Cynthi
Umbra, sive Heliconii recessus
Te tenent nemora aureo sonantem
Plectro carmina, quae beata lauri
Discit silva. ades, o Deum voluptas,
Ades numine dextro, & imminentem
Orcum jam capiti meo repelle;
Ut FRASTORIUS ob suum sodalem
Salvum, & incolumem tibi rependat
Mille carmina, te canens, tuamque
Matrem, & virgineos tuae Sororis
Mores, & studia, & pharetram, & arcum, &
Currum noctivagum aurea inter astra,
Quo se candida Diva fert Olympi
Per campos, lavis ipse quum rubente
Fessas Oceano tuas quadrigas.

JOAN-

JOANNIS BAPTISTAE AMALTHEI.

In obitum HIERONYMI FRACASTORII.

NEC Sol ab ortu pulchrior aureum
Oſtendit axem, nec magis Heſperus,
Quum pura nox invexit aſtra,
Sidereos micat inter ignes,
Quam vera Virtus munere Caelitum
Terris refulſit. quam neque fulminis
Exterret ictus, nec minaces
Martis equi, nec iniqua bella.
Sed Ditis atri quem ſemel horridis
Adjecit umbris dura neceſſitas,
Non dia Virtus, non Camoenae
Aetherias revocant ad auras.
Nec Muſa quondam reſtituit parens
Fatis ademtum Threicium Orphea,
Quamquam ille dudum corda molli
Flexerat Eumenidum querela,
Auſus profundos flebilibus modis
Excire Manes, nigraque Tartara,
Noctemque damnatam ſubire,
Dum miſeram Eurydicen repoſcit.
Nec morte functum candida Pieris
Ad lucis oras, ad nitidum diem
FRASTORIUM vatem reducit
Saepe Deos precibus fatigans;
Seu flexuoſo Tethyos e ſinu
Phoebus recurrens explicat aureas

Equis habenas, & rubente
Exhilarat sua regna curru:
Seu noctis udae praevius Hesperus
Sacros reliquit Nereïdum choros,
Et Luna rorantes aperto
Extulit Oceano jugales.
Illum gementes Aonio in specu
Flevere Musae; nec mel apes, neque
Dulcem dederunt astra rorem, &
Flumina destituere cycni.
Nunc plena luctus omnia: nunc humi
Phoebea laurus, nunc hederae jacent.
Nunc caeca nubes sidus urget
Pierium Stygia sub unda.
Sic puppis atro mergitur aequore,
Quae bella nullis gentibus inferens
Fulgebat insignis Sabaeis
Muneribus, Phariaque merce.
Declivis alto Sol ruit aethere
Fessas reclinans Oceano rotas:
Sed luce terras vestit idem
Purpureo rediens Eoo.
Nos ut severa turbidus alluit
Cocytus unda, fataque Gnossius
Judex ahena movit urna,
Ad Superos via nulla ducit.
Quis victa morbis, victa doloribus
Firmabit herbis membra potentibus?
Quis verba devolvet rotata
Ambrosio nivis instar ore?

Tar-

Tardasque nectet fluminibus moras
Carmen decoro pectine temperans?
Carmen, quod argutis ab antris
Saepe loquax iterabat Echo?
Tu, Phoebe, testis, quum tibi fervida
Sacrabat alto pectora numine
Oracula edoctus Pelasgum,
Sanctaque templa animi recludens.
Sive ille fati praepetis obvias
Tardaret alas Poeonis artibus,
Seu voce mallet, seu canoris
Pronum Athesim fidibus morari,
Qua pulchra labens per vada libero
Amnis natatu Naïadum sacros
Pertentat amplexus, & udam
Mordet aqua fugiente ripam.
Sed pone luctus, anxia Pieri:
Non ille magni cultor Apollinis
Urgetur obductus perenni
Nocte oculos, gelidoque somno:
Qui sempiternae mensus iter plagae,
Et se beatis sedibus inferens
Accessit astris, & nitescit
Altior invidiae tenebris.

ADAMI FUMANI VERONENSIS.

LONGE Vir unus omnium doctissimus,
Verona per quem non Marones Mantuae,
Nec nostra priscis invident jam secula,
Virtute summam consecutus gloriam
Jam grandis aevo hic conditur FRASTORIUS.
Ad tristem acerbae mortis ejus nuncium
Vicina flevit ora, flerunt ultimae
Gentes, perisse musicorum candidum
Florem, optimarum & lumen artium omnium.

LUDOVICI NOGAROLAE COMITIS,

Ad Paullum Rhamnusium Venetum.

FRASTORII monumenta hoc tu dum, PAULLE, libello
Colligis, e caecis eripiens tenebris,
Scilicet ut Vates, Medicaque excelluit arte,
Percurritque domos aetherias animo,
Ingentes VERONA refert tibi nunc mea grates
Cum Baldo, Benacoque suo, atque Athesi.
Qui tanto assurgent plausu, quantum ipsa labore
Fama sui civis se efferet aucta tuo.

JU-

JULII CAESARIS SCALIGERI,

cujus etiam inter Poëmata libellus exstat, quem inscripsit:

ARAE FRACASTOREAE.

OS FRACASTORIO nascenti defuit, ergo
Sedulus attenta finxit Apollo manu.
Inde hauri, Medicusque ingens, ingensque Poëta;
Et magno facies omnia plena Deo.

JOANNIS MATTHAEI TOSCANI

de FRACASTORIO, Poëtarum sui seculi vere Principe.

QUI FRACASTORIUM titulo fortasse negabit,
Quem Vati tribuit pagina nostra, parem,
Aut non Pieriam gustaverit ille, Marone
Quae demto nulli vena secunda fluit:
Aut si gustarit, nec mecum sentiat, ille
Jam penitus gustu judicioque caret.

EJUSDEM.

ANTE suo quamvis tumuit Verona Catullo,
Et fuit e claris urbibus una diu:
Attamen invidit primam tibi, Mantua, palmam
Haec non laeta satis proximiore gradu.
Atque aliquem, possit quem magno aequare Maroni,
Sollicita Phoebum det sibi voce rogat.
At FRACASTORIUM laetis excepit ut ulnis,
Plus aliquid votis dat mihi Phoebus, ait.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

CIↃ IↃCC XVIII.

JOANNIS COTTAE VERONENSIS CARMINUM LIBELLUS.

SELECTA
DOCTORUM VIRORUM
DE JOANNE COTTA
EJUSQUE SCRIPTIS
TESTIMONIA.

Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo I. de Poëtis suorum temporum pag. 538. Edit. Lugduno-Batavae.

JO. COTTAM juvenem adolescens vidi multi ingenii ac judicii, ultra quam aetas sua illa ferebat: nam humili loco natus in varias Italiae partes peregre profectus, tandem Liviano Venetorum Imperatori adhaesit. Sed capto Liviano a Gallis, illius mandato ad JULIUM PONTIF. profectus, morbo interiit. Hic ergo in cursu juvenis cecidit. Ejus complures versiculos aliquando legi, quos & legisse juvat, idemque ut vos faciatis identidem moneo. videbitis miram juvenis indolem, cui si fata longiorem vitam concessissent, inter bonarum literarum proceres haud immerito COTTA connumeraretur.

Joannes Pierius Valerianus de Literatorum Infelicitate Libro I.

Neque vero minorem in JOANNE COTTA Veronense jacturam fecerunt bonae literae. Juvenis is multa rerum omnium cognitione egregius, disciplinarum nostrarum non ignarus, Mathematicarum optime peritus, in condendo vero Poëmate elegantiae, & venustatis incomparabilis, quique antiquum illum leporem aetate nostra revocare coeperat. Is, inquam, dum Viterbii apud JULIUM II. magnis de rebus Orator agit, pestilenti oppressus febri in ipso aetatis flore defecit, scriptis ejus & hic, & illic magna ex parte dissipatis, ut neque posteritati, neque nomini suo prospicere potuerit. Vivet tamen, & doctissimorum omnium testimonio celebratus iniquae fortunae invidiam superabit.

Paul-

Paullus Jovius in Elogiis Virorum Literis Illustrium.

JOANNES COTTA apud Alieniacum pontem (id est oppidum supra Athesim) humili genere ortus, praealtum in literis ingenium ostendit: in agresti enim ore, generosi spiritus indoles ita latitabat, ut in sermone, scriptoque mira felicitas emineret. Hauserat enim pertinaci studio, evolutis utriusque linguae optimis Auctoribus, tantas eruditionis opes, ut a stupenda memoria clarus haberetur, & antiquae dignitatis carmina perscriberet. Aperuerat ludum Laudi Pompejae, quod ibi nupta erat ejus matertera. Sed demum inde Neapolim ad Pontanum se contulit, secutusque aliquamdiu Sanseverinum, & Cabanilium proceres, transivit ad Livianum Venetorum ducem, qui Musarum liberalis hospes Academiam in agro Tarvisino ad Portum Naonem instituerat, evocatis in contubernium praecellentibus Poëtis, in queis longe demum clarissimi (praeter COTTAM) Fracastorius, Naugerius, & Hieronymus Borgius evaserunt. Ad Abduam autem ex ipsa Gallorum victoria, Liviano fuso, captoque COTTA, insigni pietate se totius calamitatis & carceris comitem obtulit. Sed Galli inhumana acerbitate non misero tantum comitem, sed libros & calamum, ac omnia denique tenebrosi otii solatia denegarunt. Implevit alterum officii munus COTTA: susceptisque a Liviano mandatis, quum ad JULIUM PONT. Viterbium pervenisset, paucos post dies oborta pestilenti febre octo & viginti annorum juvenis interiit. Epigrammata, & Orationes ejus existant, sed Chorographiae opus nobile versibus inchoatum, & in Plinium erudita Scholia perierunt.

Giovangiorgio Trissino nel Libro XXIV. dell' Italia Liberata da' Goti, dove nomina molti de' più celebri Letterati, che a que' tempi fiorivano.

E l' ottimo Pontano, e 'l Sannazaro,
E 'l Sadoleto, col Flaminio: e 'l Bembo,
E 'l Fracastorio, e 'l Navagero, e 'l COTTA.

Ber-

Bernardinus Parthenius de Poëtica Imitatione Libro II. inducens Triphonem Cabrielium cum Trissino, & Manutio loquentem, judiciumque de quibusdam Poëtis ferentem.

COTTA Veronensis, argutulus: ex cujus Scriptis, etsi paucissima sint, ingenii tamen, judiciique in scribendo vim, quae aetatem superabat, facile comprehendimus. ..... *post pauca*. Quantum audio, ac sentio, ejusmodi sunt ii (nempe *Sannazarius*, *Pontanus*, *Fracastorius*, *Vida*, *Bembus*, *Naugerius*, COTTA, *Flaminius*) inquit Manutius, ut in veterum Poëtarum numero aurei illius seculi reponi merito posse videantur. Quamobrem aetati nostrae gratulemur, quam superioribus ingeniorum felicitate antestare videmus, quum exstincta jam sit illa barbaries, illa labes, quae terras, ne dicam literas, impurissimis sordibus inquinabat.

Q. Marius Corradus Libro XIII. de Lingua Latina.

Luserunt alia doctissimi viri, Pontanus, Castilio, Varchius, Jo. Baptista Arcucius, COTTA, Naugerius, Fracastorius, Amaltheus, Marullus, Gambara, Fascitellus; quorum tamen scriptis non minus, quam Virgilii, Horatii, aliorumque veterum, posteritas omnis adjuvabitur.

Onuphrius Panvinius Antiquitatum Veronensium Libro VI.

JOANNES COTTA oppido agri Veronensis Liniaco ortus, doctissimus Orator & Poëta, elegantissimum Epigrammatum Libellum scripsit.

Item Orationes aliquot, quae exstant. *
Chronographiae quoque opus nobile versibus inchoavit, & in Plinium erudita Scholia, quae perierunt, edidit.

Ju-

* *Eas tamen, quum a diligentissimis viris frustra perquisitae sint, nusquam exstare compertum est.*

Julius Caesar Scaliger Poëtices Lib. VI. qui & Hypercriticus.

COTTA quum se se ad Catulli mollitiem totum effinxisset, tantam numerorum nequitiam addidit, ut etiam affectasse palam sit. Epigrammata igitur duo, versibus Hendecasyllabis conscripta, & illius exprimunt, & Catullianorum explent animum. *& infra.* Elegiacum Epigramma ad Lycorim adeo molle est, ut vel conatum, vel etiam vota superarit: tantum enim habet amatoriarum gratiarum ut nihil addi, nihil demi, nihil mutari in eo genere dicendi possit.

Jo. Matthaeus Toscanus Pepli Italiae Lib. II. pag. 35.

COTTA ad Alieniacum pontem in agro Veronensi natus est. Qui concivis sui Catulli stylum ita expressit amatoriis versiculis, ut Scaligeri, ac Flaminii judicio, quem imitabatur, superasse judicetur. Obiit plane juvenis. Ejus Poëmatia saepius sunt typis excusa.

JOANNIS COTTAE *VERONENSIS* CARMINA.

I.

AD LYCORIM.

AMO, quod fateor, meam Lycorim,
Ut pulchras juvenes amant puellas.
Amat me mea, quod reor, Lycoris,
Ut bonae juvenes amant puellae.
Huic ego, ut ſemel hanc videre viſus 5
Se ſe oſtendere fixiore ocello,
Quando, inquam, mea lux, mei laboris
Das mi praemiolum? meique cordis
Tot incendia mitigas, Lycori?
Hic illa erubuit, ſimulque riſit. 10
Ridebat ſimul, & ſimul pudebat.
Dumque molliculos colens amores
Colit virgineum ſimul pudorem,
Quid negem tibi, dixit? & capillum,
Qui pendens levibus vibratur auris, 15

Et

Et formosa vagus per ora ludit,
Hunc secans trepida, implicansque in auro,
Haec fila aurea, & aureum capillum
Pignus, inquit, habe meique amoris,
Meique ipsius: hoc tuum puellae 20
Tuae pignore lenias calorem.
Eheu quid facis? hei mihi, Lycori,
Haec sunt flammea texta, non capilli:
Sunt haec ignea vincla: ni relaxes,
Qui tanto valeam valere ab aestu? 25
Anne ignem juvat ignibus perire?
Comae flammeolae, subite flammas:
Crines igneoli, venite in ignes:
Sat me, flammea vincla, nexuistis:
Nunc vos solvimini, & subite flammas; 30
Ussistis nimis, ignei capilli,
Nunc vos urimini, & valete in ignes.
Hos meos age laetus ignis ignes
Perge exstinguere, tuque flamma, flammam
Exedas, mea corda quae exedebat. 35
At tu, sic reliqui tui capilli
Vernent perpetuum tibi, Lycori:
Quod tuos ferus usserim capillos,
Parce: nam volo amare, non peruri.

II.

II.

AD LYCORIM.

O FACTUM lacrimabile, atque acerbum!
Nunc certe lacrimaberis, Lycori:
Digna res lacrimis, tuoque luctu.
Namque lumina nostra, lumina illa,
Illa lumina, quae, Lycori, amabas, 5
Quae tuis solita anteferre ocellis,
Non sunt, o mea lux, amanda ut ante;
Non sunt lumina, sed malae tenebrae.
Illa, ut impia fata te, Lycori,
Abstulere mihi, tuoque longe 10
Me a vultu voluere abesse caro,
In rivos abïere lacrimarum:
Quodque amarius, atque praeter omnem
Lacrimabile cogitationem,
Quantumcumque habuere lacrimarum, 15
Jampridem evomuere: nunc ad ipsum
Ventum est sanguinem, ab intimoque cordis
Ducto flumine turgidi, horridique
Sanguinem lacrimant miselli ocelli,
Et cum sanguine amata diffluit lux; 20
Ac sic enecuere seque, meque,
Dum meum miseri igneum furorem
Quaerunt diluere, & rigare mentem,
Heu mentem, Enceladi, Typhoëique
Aestuosa anima aestuosiorem. 25

III.

III.

EPITAPHIUM QUINTERII.

ME longe effigie venuſtiorem
Narciſſi, vel Apollinis comati
Parcarum Lacheſis nimis ſevera
Iſti Quinterium dedit ſepulcro.
Cur non floſculus exeam, requiris, 5
Quum tantum fuerim puer decorus?
Tellus eſt nimis arida, o viator,
Noſtri facta peruſtione amoris:
Sed ſi lacrimulis tuis madeſcet,
Forſan flos novus ibit e ſepulcro. 10

IV.

AD NAUGERIUM, ET

JO. BAPTISTAM TURRIANUM.

JAM valete, boni mei ſodales,
NAUGERI optime, tuque, amice TURRI,
Vere candidi, & optimi ſodales,
Quos numquam ſat amaverim, licet vos
Quam fratres mage, quamque me ipſum amarim. 5
Quibus perpetuum frui per aevum,
Vota ſi mea Dii audiant benigni,
Sit una ampla animi mei voluptas.

Quod

Quod quanto cumulatius futurum eſt,
Una ſi liceat mihi beatis 10
Veſtri colloquiis adeſſe BEMBI!
Verum dura neceſſitas repugnat,
Invitumque alias adire terras
Cogit, atque alios parare amicos.
Vos ergo memores meo eſſe veſtri 15
Fixam in pectore imaginem, bonamque
Vobis partem animae meae relinqui,
Jam valete, boni mei ſodales.

V.

AD GEVARAS FRATRES.

RIDETE, o lepidi mei GEVARAE,
Et veſtri facinus probate COTTAE.
Dum ſuae Anyſius mihi puellae
Partem pernegat, hunc ego a puella
Huc in exſilium ad Caloris amnem 5
Traxi blanditiis, boniſque verbis,
Quaſi ad delicias novas vocarem.
Hic hunc molliculum, atque delicatum
Probe teſtibus, arbitriſque vobis
Apicii volo macerare in aeſtu, 10
Uſto ut ore, peraridoque vultu
Reverſum tenera horreat puella.
Sic evenit Anyſio, quod ajunt,
Tota perdere, tota qui requirunt.

VI.

AD ANYSIUM.

AMBO dulcia (ne verere) & iidem
Salsa scribimus ambo, docte ANYSI.
Scis quae, uti sumus uno amore juncti,
Uno carmina scribimus libello:
Scis cervum quoque, quem sibi educarunt, 5
Suum ut Silvia delicata virgo,
Nostri filiolae boni Gevarae:
Ille tam cupide illa devoravit,
Ut omni sale salsiora, & omni
Posses noscere dulciora melle. 10
O testem lepidum, bonique ANYSII
Raram carminis approbationem!

VII.

AD CALOREM FLUVIUM.

O CELLE fluminum, CALOR, CALOR pulcher,
CALOR bonarum cura, amorque Nympharum,
Quem caerulum fovens caput sinu blando
Montella secum amore vincit aeterno;
Dic o mihi amnis conscie, anne nunc forte 5
Pulchra illa, simplexque adeo, & omnibus felix
Soluta curis mea Rubella per ripas
Tuas oberrat? & vel ex odoratis

Pin-

Pingit corollas floribus, vel in densa
Silva sibi suavi sopore blanditur? 10
Anne potius cum aequalium choro ludit,
Qua primum oriris ipse, quaque miscetur
Nitens nitenti Balnius Politinae,
Tuosque laeti confluunt in amplexus?
Argenteumque pedem, atque nuda formosos 15
Artus per undam, & aureum lavit crinem?
Sic est: ibi illa membra eburnea, atque ipsas
Papillulas beata frigeras lympha:
Atque inde flammeo calore concepto
Hucusque flammas in mea ossa transmittis: 20
Dum te subinde candidae memor Nymphae,
Qua jam recepta Samnii tumes unda,
Samnii & vetustas limpidus rigas urbes,
Exsul, miser, suspiriosus inviso.
At tu, CALOR, sic olim amoenus auratis 25
Dicare cornibus, arduusque Vulturno
Ferare victo, illique jam auferas nomen,
Fontem ad tuum recurre, dic meae luci,
Meo te ab igne posse saepe siccari,
Meo nisi de fletu identidem crescas. 30
Dic, me amplius nequire tanta celare,
Nequire ferre vulnera, ac mori semper.
Tum, si ipsa prorsus haud sit immemor nostri,
Si sors amara illi mea, & fides grata;
Dic, me libenter ferre quidquid est duri. 35

VIII.

DE VICTORIA LIVIANI.

O QUAE alma grato carmine fortium
Mori, Thalia, facta vetas virûm,
Nunc & per ora LIVIANUM
Omnium, & omne feras per aevum.
Dic, ut superbae contuderit minas 5
Germaniae, atque a Caesare barbaro
Fessae tot annos imminentem
Ausoniae arcuerit ruinam.
Nam quis malorum eheu veterum memor
Non expavebat? quum populos truces 10
In nos remotis usque ab oris,
Qua glacie riget Amphitrite,
Audiret armari: asperaque Alpium
Jam vincere altis cum nivibus juga
Feris inaccessa, atque fines 15
Undique jam populare nostros?
At LIVIANUS in trepidis docens
Audere rebus, qua violentior
Vis hostium ingruit, citatis
Obvius agminibus cucurrit. 20
Ductore tandem hoc scilicet Italas
Videre montes insoliti manus:
Tormenta, atque equos, & arma
Alpicolae stupuere Fauni.

Tan-

Tandemque noſtra impune nimis diu 25
Bacchati in arva Theutones horridi
Senſere in antiquumque robur,
Inque novum Marium incidiſſe;
Quum caeſa, pubis flos Alemanicae,
Repente in alta valle Cadubrii 30
Phalanx nives cruore tinxit
Purpureo, rapidumque Plavem,
Arx & recepta eſt; pectora militum
Quum ſaeva noſtrorum ardua non via,
Non ſaxa, non arcere muris 35
Terrifici potuere nimbi,
Cadente ahena fulminis in modum
Contorta ab igni ſulphureo pila,
Qua terra ſubſultat, nigerque
Cum ſonitu ferit aſtra fumus; 40
Dirum repertum: & ingenium male
Sagax, ſacrumque, quo truculentius
Nil invenire atrox Megaera,
Saeva nec ira poteſt Deorum.
Sed cuncta praeſens horrida temnere 45
Dux acer urget, hunc ſequitur cohors
Secura; praeſentemque mortem
Magnanimo Duce freta vincit.
Diis cura noſtri eſt, & Venetus pater
Probe Latinae conſuluit rei, 50
Quum jus tibi omne copiarum,
LIVIADE, tribuit ſuarum;
CORNELIUMQUE mox ſocium dedit
Magno e Senatu, cui ſapientia

Insignis, ac fortuna avorum 55
Scipiadum reparant honores.
Non Imperatorem ille queat sibi
Optare, Mavors quem mage diligat:
Non tu Senatorem ferendis
Consiliis animosiorem. 60
Vos nuper hostium unanimes feram
Fregistis audaciam, ac pavidos patres
Firmastis, ac suam attulistis
Semianimis populis quietem.
Vos jam timebit barbarus, ac suis 65
Pedem cavebit tollere finibus,
Ni laeva mens est, Diique nostros
Accumulare volunt triumphos.

IX.

AD LYCORIM.

NE TUA ne mea mi cane carmina, cara Lycori:
Mi vox ista avida haurit ab aure animam.
Et vela faciem: me me liquat ipsa videndo,
Et trahit intentis ex oculis animam.
Et mihi conde sinum: istis dum paro pressa papillis 5
Basia, mi rapiunt ore ab anhelo animam.
Nec mi ostende manum: illa mihi potis est aperire
Pectus, & e medio evellere corde animam.
Et mi ostende aliquid: moribundo abit aegra mihi mens;
Nil video, quum te, lux mea, non video. 10

Quid

Quid tamen optarim oſtendi mihi? quid tibi in iſto eſt
Corpore, quo viſo non ſubito peream?
Tolle precor tunicam tantillum, & paſcere ocellos
In pede languentes me ſine candidulo.
Sed quid ego optavi mihi? paullo ante iſte tuus pes 15
Me inceſſu tenero dimidium abſtulerat.
Quod ſi tunc imis e veſtibus exſeruiſſet
Unum vel minimum forte aliqua digitum,
Liquere me cupide vidiſſes, me ſimul omnem
Affuſum dulci dulce mori digito. 20
Verum age jam cane, lux mea; jam mihi, lux mea, totam
Te retege, atque omnes mi face delicias.
Nam ſi mors obeunda, inhians in te, mea, malim,
Vita, mori, quod vita eſt mihi amabilius,
Quam triſtis deſiderio tabeſcere amati 25
Corporis, unde miſer ſim, & decuplo peream.

X.

AD LYCORIM.

SIVE aliquid, ſeu forte nihil mea lumina cernunt,
Dixi, ea te ſemper, vita, referre mihi;
Stulta ego ſim, dixti, ſi credam talia: amantes
Talia fallaces fingere multa ſolent.
Ergo non credis mihi? non mihi credis amanti? 5
At, formoſa, oculis crede, Lycori, tuis.
Tu propius noſtris tua firmes oribus ora;
Inque meis figas lumina luminibus.

Dispeream, nisi, ut in speculo te te ipsa tueris,
Sic oculi referent te tibi, vita, mei. 10
Quod si ita sit, meritis tum tu des oscula ocellis;
Ipse ubi mi libeat, dem tibi basiolum.

XI.

EPITAPHIUM CANIS.

CAPARION ego sum, quem vivum maxime amavit
LIVIADES, tumulum post dedit & titulum.
Plura cani ingenuae de se sibi non licet: at mi
Nunc audita meo accipe de Domino.
Latrantem me forte phalanx Germana per umbras 5
Ut vidit, de more affore herum timuit,
Et fugit trepida. at ridens ait una Dearum,
Quae ante Jovis solium ferrea pensa trahunt:
Ne trepidate: semel satis est timuisse: neque illum
Quem fugitis, prius huc fata venire sinent, 10
Quam Gallos male foedifragos demiserit Orco,
Et quisquis vexat barbarus Italiam.
Quisquis ades, Domino haec referas, precor; haec quoque pauca
Addito: amat te etiam trans Styga Caparion.

Quae sequuntur, sumta sunt ex Io. Gagnaeji Collectione Epigrammatum Doctissimorum sua aetate Italorum, edita Lutetiae per Nicolaum Divitem.

XII.

IN LAURENTEM,

pro libertate Patriae Tyrannicidam.

TEMPORIBUS Patriae, LAURENS, tua maxima virtus
Adfuit, & facinus fortiter ausa pium est.
Et si libertas non illi est inde secuta,
Quod caussam cives deseruere suam:
At tibi magna tamen debetur gratia facti 5
Egregii, atque alti pectoris atque animi:
Quod tua crudelem confecit dextra Tyrannum:
Idque erit ut numquam obliteret ulla dies.
Despiciet Fesulas dum silviger Apenninus,
Dumque Arni Fesulis despicientur aquae. 10

XIII.

XIII.

AD VERONAM.

VERONA, qui te viderit,
Et non amarit protinus
Amore perditissimo,
Is, credo, se ipsum non amat,
Caretque amandi sensibus, 5
Et odit omnes gratias.

JOANNIS COTTAE

Carminum Finis.

ILLU-

ILLUSTRIUM ALIQUOT POETARUM DE JOANNE COTTA *VERONENSI* CARMINA.

ACTII SYNCERI.

SPERABAS tibi docta novum Verona Catullum:
Experta es duros bis viduata Deos.
Nulla animum posthac res erigat: optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quae tamen ut vidit morientis frigida COTTAE
Ora; suum fassa est crimen, & erubuit.

HIERONYMI FRACASTORII.

Ex Elegia ad Jo. Baptistam Turrium, de obitu M. Antonii Turrii Veronensis, fratris.

Relliquias, miserosque absumsit tabida cives
Pestis, & huc illuc saevit Erinnys adhuc.
Nec sat erat: miseri crudelia funera COTTAE
Flevimus. o indigna COTTA peremte nece.
O COTTA infelix, quae te fata impia nobis
Tam subito ante tuos abripuere dies?

M. AN-

M. ANTONII FLAMINII.

SI FAS cuique ſui ſenſus expromere cordis,
Hoc equidem dicam pace, Catulle, tua:
Eſt tua Muſa quidem dulciſſima; Muſa videtur
Ipſa tamen COTTAE dulcior eſſe mihi.

JO. MATTHAEI TOSCANI.

COTTAM ad ſidera dum meis vocare
Pararem numeris, nec invenuſtis,
Quidam de trivio ſcholae magiſter
Conſuetus miſeras juvenculorum
Nates ſcindere ſibilante flagro,
Me ſupercilio truci notavit.
Ecquid COTTA tuus leporis, inquit,
Quod non ſurpuerit prius Catullo,
Praefert? furta putas honore digna?
Illi contra ego pauca: Sic habeto,
Hircoſiſſime carnifex juventae,
Primum in non modica Catullianos
Poni laude, deïn ſuum Catullum
COTTAM ſic imitarier, Catulli
Proclive ut minus aemulum aemulari
Sit, ipſum quam imitarier Catullum.

EJUS-

EJUSDEM TOSCANI.

QUI Musas, Veneresque, Gratiasque
Vis coetu socias videre in uno,
Hunc unum aureolum legas Libellum,
Quo Musae neque sunt politiores,
Ipsa nec Venus est magis venusta,
Nec gratae Charites magis. quod ulli
Si fortasse secus videtur, ille
Iratas sibi noverit misello
Camoenas, Veneremque, Gratiasque.

OLIM PARVUS ERAM, VIXQUE ULLI COGNITUS AMNIS:
IT MEA NUNC TUMIDO LYMPHA SUPERBA PEDE.

ARGUTOS ETENIM PAVI NAUCELUS OLORES,
QUI SE, MEQUE SUO CARMINE IN ASTRA FERANT.

JACOBI BONFADII, ADAMI FUMANI, NICOLAI ARCHII,

COMITIS,

VERONENSIUM POETARUM,

CARMINA

NONNULLA.

DE JACOBO BONFADIO.

L' Abate Girolamo Ghilini nella I. Parte del ſuo Teatro d' Uomini Letterati.

NAcque il BONFADIO in Gazano, Luogo picciolo della Riviera di *Salò*, il quale tanto meritò di lode d' ingegno, quanto ſcriſſe con ingegno leggiadriſſimo, ed eccellente. molto valſe nella Filoſofia, e fu gran profeſſore di Belle Lettere, ed in particolare d' Iſtoria. Servì tre anni in Roma il Cardinal di Bari per Segretario, dal qual' ebbe tutti quei particolari favori, che poteva deſiderare; venuto poi quel Signore a morte, la qual ſe ne portò via tutte le ſperanze, e tutti i frutti della ſervitù ſua, ſervì nel medeſimo grado il Cardinal Ghinucci, nel quale perſeverò ſin' a tanto, che la diſgrazia d' una malattia, che gli fu grave, e lunga, lo tolſe da quella ſervitù. riavuto dell' infermità, e ſazio della Corte, ſi riſolſe di veder il Regno di Napoli, per il quale quaſi errando camminò molti meſi: e poi n' andò a Padova, e finalmente a Genova, ove pubblicamente leſſe la Politica d' Ariſtotile. Dall' iſteſſa Città fu anco richieſto a leggere la Rettorica; ed eſſendoſi acquiſtata buona opinione preſſo a quei Cittadini eſtremamente diſideroſi, che i loro figliuoli faceſſero nell' eloquenza, e nelle buone diſcipline profitto, li mandavano alla ſua caſa, perchè apprendeſſero i veri precetti di quella ornata ſcienza, come felicemente a quei giovanetti riuſciva. Creſcendo poi in quella Repubblica vie più famoſo il nome del BONFADIO, il quale con la varia, e ben fondata ſua dottrina s' aveva di già laſciati addietro tutti gli altri Letterati de' tempi ſuoi, fu onorato del carico di ſcrivere gli Annali di Genova, acciò per mezzo della ſua dotta penna trapaſſaſſero alla memoria de' ſecoli futuri. alla qual' impreſa tanto più animoſamente s' accinſe, quanto maggiormente s' accorſe eſſer quella Città da gran diſiderio acceſa di vedere le varie ſue azioni, e coſe accadute, per mezzo della Cronica ravvivate; al che fare anco ſi moſſe con gran fervore, invaghito, ed allettato da una buona, e larga mercede, che da quella Repubblica per un' Opera tanto utile, ed egregia ſperava. Ma il pover' uomo non tan-

tosto ebbe a così onorevole impresa dato principio con cinque Libri di quei Annali, che per aver egli troppo liberamente, e forse più di quello conveniva ad Istorico, mordacemente scritto d'alcune famiglie di quella Città, nella qual'azione bisogna esser molto circospetto, *fu accusato falsamente di un' infame delitto*. sopra di questa imputazione fu subito carcerato, *e da' testimoni convinto*, fu condannato al fuoco *, nel quale finì i suoi giorni l'anno 1551. Il giorno destinato alla miserabil morte sua, scrisse a Gio: Battista Grimaldi una breve lettera, nella quale così a lui, come a Domenico Grillo, e Cipriano Pallavicino, principali Genovesi, e tutti amicissimi suoi, raccomandò un suo nipote chiamato Bonfadino, e nell'istessa lettera ordinò, che il suo corpo fosse sepolto nella Chiesa di S. Lorenzo di quella Città. Ha lasciato questo Letterato Ingegno le seguenti Opere: *Annalium Genuensium Libri quinque*; i quali Annali per esser veridici, ed eleganti, furono da' professori d'Istorie caramente accettati: *Orazioni: Lettere famigliari*, di graziose bellezze ripiene: *e le Poesie così Greche, come Latine, ed Italiane*; le quali Opere uscirono co'l mezzo della stampa all'onore della fama, ed alla gloria dell'immortalità. Gio: Matteo Toscano, studioso ingegno, e gentilissimo Poeta, lasciò onorata memoria di GIACOMO BONFADIO co' versi del tenore seguente, co'i quali pare, che tassi i Genovesi, come se avessero ingiustamente fatto morire il BONFADIO.

De JACOBO BONFADIO.

Haud minus intumuit nuper Benacus alumni
BONFADII, ac Musis, culte Catulle, tuis.
Bis tamen infelix: rapuit nam Roma Catullum:
BONFADIUM leto das, scelerate Ligur.
Genua BONFADIUM quamvis, & Roma Catullum
Abstulerint; doctos non rapuere modos.

JA-

* *Da versi però di Paolo Manuzio, che qui appresso si leggeranno, manifestamente apparisce, che il BONFADIO non fosse abbruciato, come scrive il Ghilini; ma bensì, che gli fosse mozzato il capo, per le istanze efficacissime d'alcuni Grandi, suoi Protettori, che molto si adoperarono per liberarlo, ma indarno; non avendo potuto ottenere dalla durezza del Giudice altra cosa, che lo scambiamento del supplicio, e ciò ancora a gran fatica.*

JACOBI BONFADII *VERONENSIS* CARMINA.

I.

GAZANUM, VICUM *DESCRIBIT.*

MOENIA quum Saloi, & Benaci litora linquo;
Dextra iter ingressum per opaca, & florida rura
Me brevis, & facile acclivis via ducit apricum
In collem, Cereri placitum, patrique Lyaeo,
Et placitum Altrici semper frondentis olivae. 5
Planities jacet in summo cultissima. primo
Hujus in ingressu oppidulum est. Salaminius olim
FADIUS egressus patria, Patavîque secutus
Fundatorem urbis, posuisse in litore sedem
Dicitur; atque plagae mox acri incensus amore 10

Hunc optaſſe locum GAZAE, quam dives avito
Theſauro ſecum extulerat: tum nomine ab illo
GAZANUM dixiſſe. propinquis collibus arces,
Claraque magnanimûm ſtabant monimenta virorum.
Sed rerum abſumtrix, retroque abſtruſa vetuſtas 15
Obruta in obſcuris ſecum omnia condidit umbris.
Hinc aciem procul in campos, terraſque jacentes,
Lataque Benaci protendere in aequora poſſum.
Vicini montes Boreae de parte, reducit
Et qua Sol radios, quaque altas abdit in undas, 20
Circumſtant. facies ſpectanti celſa theatri
Formam offert. ſaepe indigenae videre ſedentem
Pana Deum Arcadiae, calamos quum inflaret in altis
Rupibus; & Nymphas per ſibila laeta vocaret,
Nymphas, quae plexis redimitae tempora ſertis, 25
Paſtorum loca ſola petunt, ſilvaſque pererrant,
Omnia complentes luſu, dulcique cachinno.
Naïades quibus aſſultant de rupibus imis;
Solem ubi ad Heſperium praepingui e valle volutus
Flectit iter rapido, atque ſonanti flumine Cliſis: 30
Quem dulces aurarum animae comitantur, & alis
Per placidum levibus volitantes aëra circum,
Omnem divinis miſcent afflatibus oram.
Dilecta ora mihi, Italiae ridentis ocelle,
Naturae laetantis opus, ſancta ora Deorum, 35
Quam laetus gelidos fontes, flexuſque tuarum
Lympharum, Tempeque ſoli, caelumque reviſo!
Quamque libens vix ipſe mihi credo aequoris undam
Tyrrheni, & Calabrûm ſaltus liquiſſe nivales,
Inque tuo incolumis gremio reſidere virenti! 40

Sal-

Salve, altrix antiqua, boni ſalvete receſſus;
Et gaudete: Genique loci tu candide fidi,
Voſque Lares, placidi veſtro cum numine amico
Eſte mihi; & noſtrum tandem lenite laborem.
Te vero & moneo, &, quantum me diligis, ALCON, 45
Oro, care ALCON; quamquam tua rura reliqui
Invitus; partemque ſui mens aegra requirit;
Ne mihi commemores Atheſim, neu tecta venuſtae
Alta Coloniolae. juvat hic conſumere totum
Sextilem, & dulces inviſere ſaepe ſodales: 50
Qui lateri noſtro ſe ſe agglomerare ſolebant
Olim, quum primis colludebamus in annis.
Horum in complexu vis priſci emergit amoris,
Ut ſatis aequo animo non me divellere poſſim.
Sed, quum ſe primum decreſcens fregerit aeſtas, 55
Ridebit placido quum Villia Doris in antro,
Me feret aurifluo vaga gurgite cymba repoſtas
FLAMINII ad ſedes, ripae ulterioris in arvis.
Huc occurre mihi: ſimul ad tibi grata vireta
Formellii, & laetos Amathuntidis ibimus agros. 60
RODULPHO interea, qui ſe caeleſtibus aequans
Divis, purpureo, atque ardenti in murice fulget;
Quemque viam monſtrantem aequi, magnum inclyta patrem
Roma colit; ſtatuam patriis in montibus aras.

II.

DE VILLA COLONIOLA.

EST collis, geminas recto qui limite valles
Scindit, & hinc Suavum prospicit, hinc Latios.
Accessu in primo sunt formosissima Tempe,
Culta peregrinae rura COLONIOLAE.
Huc me Verona digressum duxerat ALCON, 5
Magnae ALCON silvis cognitus Hesperiae:
Nympharum castos qui sacra per otia fontes,
Vestraque, Pierides, Numina sancta colit.
Frondosi hic nemoris dorso dum forte vagarer;
Et leni omne nemus perstreperet Zephyro; 10
Ad Corylos Phyllis contexens fraga sedebat,
Perdito amore nimis Phyllis amata mihi.
Talis in excultis visa est Cytherea viretis,
Necteret in sertum quum tibi, Adoni, rosas.
O Sol, o mihi Sol radiis fulgentibus orte! 15
O mihi felices inter habenda dies!
Nam quae furtivum olim abscondebat amorem,
Quaeque fugax semper, si obvius inciderem,
Se se alio avertens, tacito pede reflectebat,
Lumina tum facilis torsit amica mihi. 20
Accessi; atque errans, incertus corpore toto,
Protinus optatum prosilui in gremium.
Illi Amor aureolis spargebat floribus ora;
Quos e maternis extulerat calathis.

Hic

Hic mihi (vos Coryli, teſtes, ſanctaeque latebrae) 25
Dum capio miſtum ſuaviolum ambroſia,
Se ſe anima ipſa in labra ejecit; meque relicto
Ad ſibi dilectam Phyllida tranſiliit.
Illa, ubi me aſpexit moribundum, amplexa fovere
Coepit, ſuaviolum dulcius ingeminans. 30
Tum, mea dum inſueto perfundit labra liquore,
Ore fovens, ſenſim tranſiit ad me anima.
Nunc vivo; & vita eſt multo mihi carior, in me
Quum memini, de quo venerit illa loco.
Salve, o terra beata, mihi, gratiſſima terra 35
Diis Superis: ſalve, dia COLONIOLA.
Nomen fama tuum immortalibus in monimentis
Protendat; nec te deruat ulla dies.
Haec lingua ante meis haerebit faucibus, ante
Haec dextra attractis concidet articulis: 40
Quam memori ex animo, & noſtro de pectore migret
Saepe vocanda mihi cara COLONIOLA.
Et vos o Coryli, quarum ſub mollibus umbris
Haec inſperanti ſunt mihi nata bona,
Sitis felices. non veſtros Eurus honores, 45
Non aeſtus, non vos frigida tentet hiems.
Quum ſitiunt ſilvae, veniant pede Naïdes udo,
Atque humore vagae roſcido Hamadryades;
Vos & alant ſibi delicias, ſeu gramine molli,
Sive velint ramis ludere ab umbriferis. 50
Phyllis amet Corylos; illas ſi Phyllis amabit,
Una mihi Corylus maxima ſemper erit.

III.

AD CARD. RODULPHUM PIUM,

CARPENSEM.

BENACI in ripis, agitur nunc tertius annus,
Pro nostris posita est viribus ara tibi.
Hic ego tum coepi non infelicibus ausis
Te canere, & sacris urere tura focis.
Gaudebat Geniusque loci, nostrique nitentem 5
In lucem laeti se explicuere lares.
At postquam gelidis illa est infessa pruinis,
Et deserta tuo numine sola fuit,
Ipsi etiam montes deploravere querelam
Nostram, Benacus sensit & ipse pater; 10
Et ferruginea sparsit caligine ripas:
Omniaque ex illo tristia visa mihi.
Magne Pater, veluti aethereus praesentia fulgor
Qui late ardenti tempora luce reples,
Aureus e gelidis Titan jam flexibus anni 15
Vertit ad aestivum lumina clara diem.
Tu quoque jam propior factus, converte benignos
Ad me iterum aspectus, lumina amica tui.
Non erimus dono indecores. quod si tibi cura
Pulsa mei, nec jam te ratio ista movet; 20
At moveat natura tua inclyta: quique sub alto
Antiquae laudis pectore vivit amor.

Et

Et placidae excellens moveat praeſtantia mentis
Illa tuae; quae Diis te facit eſſe parem.
Tu Princeps, tu ſacrum oraclum: hic munera nobis
Et mens, & manus, & vox tua pollicita eſt.
Ne, quaeſo, ne deſtituas, neu temne dicari
Meque, lareſque meos, & mea ſacra tibi.
Interea ardentis ſemper te mentis habebunt
Templa meae:tibi in his uram animum,atque animam.
Sentiri nequit hinc odor; & ſi poſſit, odores
Vincat Panchaeos, vincat & Aſsyrios.

FINIS.

ILLU-

ILLUSTRIUM ALIQUOT POETARUM DE JACOBO BONFADIO *VERONENSI* CARMINA.

PAULLI MANUTII.

ad eos, qui pro salute BONFADII laborarunt.

DILECTAE Musis animae, Jovis unica cura,
In quibus & rectum, & longos exstincta per annos
Nunc demum exoriens virtus antiqua relucet;
Et tu, qui docti dux inclytus agminis anteis,
Magnanime o juvenis GRIMOALDE: quis ille, quis esse
Tam culto ingenio possit, tam divite vena,
Officium vestrum qui versibus exprimat aptis?
Lapsus erat miser in culpam BONFADIUS: index
Detulerat patribus; nec inani teste probarat.
Quid facerent legum custodes? legibus uti
Coguntur: dignum est. servantur legibus urbes.
Continuo infelix in carcere conditur atro.
Nuncius interea tristis percusserat aures
Omnium amicorum. vestris dolor haesit acerbus
Mentibus: afflicti propere concurritis omnes.
O pietas, o prisca fides! vos crimine duro
Oppressum, & multis invisum, non tamen ipsi

Pen-

Pendentem extremo casu liquistis amicum.
Pugnastis precibus, fletu pugnastis amaro;
Si possent flecti sensus, mentesque severae.
Est etiam minime dubio sermone relatum,
Argento, atque auro multos cupiisse redemtum.
Docta cohors, quid agis? turbatis navigat Euris
Spes tua: vana petis, portuque salutis aberras.
Ne lacrimas, ne funde ultra: desiste precari.
Suscipis ingratum studium, sterilemque laborem.
Fixa manet duris sententia legibus atrox.
Si fecit, pereat: factum patet, ergo peribit.
Horrendum carmen, tamen immutabile: quod non
Frangere vis hominum, non flectere gratia possit.
Exprimitur tandem hoc invito a judice, vivus
Ne comburatur, crepitanti deditus igni.
Tum se carnifici saevo BONFADIUS ultro,
Mente Deum spectans, animo imperterritus, offert.
Ille ministerio propere functurus iniquo,
Terribilis rigidam suspendit ad alta securim.
Quem feris ah, scelerata manus? quam nobile collum
Percutis, ignoras, & quo te sanguine tingis?
Hic, qui prostratus jugulum tibi porrigit, a te
Fortiter exspectans extremi vulneris ictum,
Dulcibus & numeris, & molli doctus avena,
Quum caneret versus Musis, & Apolline dignos,
Aërio sacras descendere monte Camoenas,
Atque habitare tuo, Benace, in litore jussit.
Hic & Romano eloquio, & praecellit Etrusco,
Mansuetus, facilis, dulci sermone disertus.
Haec tu non audis: sed inanibus irrita ventis

Man-

Mandantur, quaecumque loquor. tu parcere nescis.
Eximios, humilesque feris discrimine nullo.
Sic visum est Superis: mutari fata nequibant.
Fixum erat, ut damnatus, & acri judice victus,
BONFADI, ante diem Ligurum morereris in Urbe.
Urbs praeclara viris, Urbs classe insignis, & armis,
Barbaricae gentis magnis decorata trophaeis,
Cur veterem a nobis, cur fidum avellis amicum?
Non tamen obscurus perit, aut inglorius. exstant
Scripta Viri: quae posteritas mirabitur omnis.
Tu quoque in Historiis seros memorata per annos,
Genua, florebis viridi cum laude, & ab illo,
Quem tu exstinxisti, tibi lucida gloria surget.
At tu; cui miser extrema BONFADIUS hora
Aspersam lacrimis misit per scripta salutem;
Flos Ligurum, GRIMOALDE, tuae decus Urbis, & Orbis,
Et vos o Phoebo sacri, studiisque decoris,
Egregii Juvenes, moestum lenite dolorem.
Jam sat honorifico celebrastis funera fletu:
Jam satis officio, satis & tribuistis amori:
Nec vestrum studium, pietas nec vestra latebit;
Sed clarorum hominum semper notescet ab ore.
Et quas ille truci correptus morte nequivit
Officio, studioque pares persolvere grates,
Has qui perpetua vobis cum laude rependat,
Forsitan alter erit, vel jam est; multique sequentur.
Vive diu, studiosa manus; doctamque Minervam
Excole: quae vestras divino nectare mentes
Pascet; & extremum tribuet per secula nomen.

JO-

JOANNIS MATTHAEI TOSCANI,

ex Pepli Italiae Lib. III. pag. 81.

NON minus intumuit nuper Benacus alumni
BONFADII, ac Musis, docte Catulle, tuis.
Bis tamen infelix: rapuit nam Roma Catullum;
BONFADIUM leto das, scelerate Ligur.
Historia aeternum cujus, fera Genua, vivis,
Immeritum saeva lege necare potes?
Mitius est, quod te spumanti vortice marmor
Tundit; & es scopulis durior ipsa tuis.

BONFADIUS, in Veronensi agro, ad Benacum natus, in Epistolis familiaribus Etrusca lingua, tenui stylo ac presso compositis, omnium princeps habetur: scripsit & pari candore Latina Carmina. Genuensium inchoavit Historiam, a quibus indignissime necatus est, & flammis absumtus.

SO-

SONETTO
DI M. ALESSANDRO PICCOLOMINI,
A M.
JACOPO BONFADIO,

per le Storie ch' egli ſcrive de' Genoveſi.

BONFADIO mio, che con ſtil chiaro, e pieno
D' alta prudenza, eterne l' opre fate
De la ricca, onorata, alma Cittate,
Che tien tant' anni già Liguria a freno:

Tema non ſia, che voſtre carte ſieno
Soſpette mai; che 'l ver cotanto amate,
Che nè ſcrivendo, gli altrui geſti alzate
Più che convien, nè fate illuſtri meno.

Così ſecur fà 'l cor virtute in voi,
Che d' invidia, o d' amor ſoverchio affetto
No 'l può da 'l ver cammin torcer' un punto.

Dunque direm de' voſtri Scritti poi,
(Quel che forſe di rado in altri è detto)
Così ſcriſs' ei, così fu fatto a punto.

SELECTA DOCTORUM VIRORUM DE ADAMO FUMANO, EJUSQUE SCRIPTIS TESTIMONIA.

Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo II. de Poëtis suorum temporum.

HORUM ferme (*id est Romuli patris, & Pompilii filii, Amasaeorum*) aequalis est ADAMUS FUMANUS, Veronensis, bene ac pie literatus, qui quum alumnus Giberti fuerit, Veronensis Antistitis, ejus vitae & morum rationem sectatus, D. Basilii, & alia quaedam ex Graeco Latina fecit. Et horum quidem trium, ut multa oratione soluta leguntur, ita pauca admodum carmine scripta circumferuntur; quae tamen mihi videre contigit, non sine Venere & Gratiis esse visa sunt, & de his vobis hoc loco pauca recensui.

Onuphrius Panvinius Antiquitatum Veronensium Libro VI.

Vivit adhuc Veronae ADAMUS FUMANUS, Ecclesiae nostrae Canonicus, vir utraque lingua disertissimus, quod facile ex Basilii Magni Asceticis magnis, & parvis, ab eo in Latinum sermonem e Graeco versis, intelligi potest. Quum autem Poëticae peritissimus sit, multa edidit elegantissima Epigrammata, Elegias, & alia id generis Carmina, suavi modulatione referta.

Marc' Antonio Giusto in una sua Lettera scritta a M. ADAMO FUMANO, che si legge a carte 70. del Libro III. delle Lettere raccolte da Paolo Manuzio.

Io aveva già serrata l'altra lettera, quando sopraggiunsero i vostri versi bellissimi; i quali mi sono stati mandati dal nostro M. Carlo scritti, e stampati. quanto mi siano stati cari, non accade, che io vel dica; ma dirò pur questo, che da qualunque altra persona fussero stati composti, mi sariano carissimi per la loro eccellenza: ma, perchè sono vostri, mi sono mille volte più grati; sì perchè i beneficj che si ricevono da gli amici, sono precipuamente grati, come dice Terenzio: sì perchè il vostro Testimonio è gravissimo, e di grande autorità; ed io sono imperfettissimo, e confesso d'aver piacere d'esser commendato da pari vostri. ec.

M. Dionigi Atanagi nella Tavola del Secondo Libro delle Rime da esso raccolte.

ADAMO FUMANO, uomo di dottrina, e di bontà rara, e dignissimo Canonico della nobilissima Città di Verona.

Maurizio Moro nel Poemetto de' Fregi di Verona.

D'un'ADAMO FUMANO ancor risuona
Su queste sponde, e per quest'aria il grido.

ADA-

ADAMI FUMANI VERONENSIS CARMINA.

I.

SUB EFFIGIE ATHILAE HUNNI.

EAX Orbis ille, incendium, pallor, pavor,
Europa monſtrum quem novum genuit parens,
Matris ferus quod carnifex foret ſuae,
Qui barbaro ſuperbus ipſe ſpiritu,
DEI FLAGELLUM, nomen indidit ſibi; 5
Terris furens ſatelles irati Jovis,
Per quem fuere ſecla facta ferrea,
Quum quaque mores uſque fudit barbaros;
Quo ſe ore vivens ferre ſueſset ATHILA,
Tabella JOVII haec indicat planiſſime. 10

II.

SUB EFFIGIE TOTILAE.

IMMANIS ille, peſtis Urbis, barbarus
Quae barbararum gentium terror, ſui
Ad Ortum ab Occidente fines Imperî
Olim feroci Marte dilataverat;
Qui noſtra vaſtitate cuncta perculit 5
Vicos, agroſque, civitates, oppida
Ritu procellae, turbiniſque acerrimi,
Deo atque hominibus abominatus TOTILA,
Hac in tabella pictus, hoſpes, an vides
Ut ſaevus, importunus, impotens, adhuc 10
Stragem minetur ore, caedem, ſanguinem?

III.

SUB EFFIGIE

MARTINI TURRIANI.

RUEBAT ECCELINUS acer Italus
Fretus tremenda militum ferocia
Tremendus ipſe diritate barbara,
Urbem ſuperbam, maximam, perlucidum
Sidus togatae ut perdomaret Galliae: 5
Tyrannus ECCELINUS ille peſſimus,
Illud Deo atque hominibus infeſtum caput,

Quot-

Quotquot fuere, quotque ſunt, quotque umquam erunt
Longe Tyrannus omnium teterrimus:
Ab corde cujus exſularat funditus 10
Fas, jus, pium, rectum, pudorque, aequum, & bonum:
Qui tenera membra parvulorum ab ubere
Matrum revulſa, diſſecare per ſcelus
Mucrone duro ſuetus ipſe durior:
Quin (proh nefas!) & mulierum praegnantium 15
Exenterare amabat (o dirum nefas!)
Exenterare amabat alvos impius
Horrente ſcalpro: te nihil, mater, verens,
Lucina, juſtis quae vocata partubus
Nitentium audis pia lacrimoſas preces: 20
Quae ſaepe ſaepiuſque repetitae, illius
Numquam feroces ſpiritus, numquam feri
Duriſſimum mollire pectus quiverunt.
Et hoc Patavii novit alma civitas,
Vicinaque illi fertilis Vicetia, 25
Tuque urbs frequens, vetuſta, magna, nobilis,
Verona, mater urbium pulcherrima,
Noviſti, & ante tu beata Brixia,
Tum facta ab illo urbs omnium miſerrima.
Ruebat ECCELINUS acer Italus, 30
Qualis ſonantis vis coruſca fulminis:
Quum TURRIANUS ecce vir fortiſſimus
MARTINUS, indignatus, ut ſpumans aper
Lucanus, aut Sabellus, aut Libys leo,
Getula pubes quem veruta perpulit 35
Exire notis ſaltuum receſſibus,
Clamoſa pubes, & Numidicorum canum

Animosa vis latratibus saevis ferit,
Quum colla & armos vestientibus jubis
Caudae flagello idemtidem graves sibi 40
Villosa terga verberans iras ciet,
Secumque caeco murmure dubitat ferus,
Quae prima mordens obterat venabula:
Sic ille, acerbae ut servitutis imminens
A civibus propelleret jugum suis, 45
Formidoloso & ipse cinctus agmine,
Virtute fretus exsilit mirabili
Seni incitatus obviam acerrimo,
Primaque pugna vulnerat, vivum capit,
Asportat, inque claustra caeci carceris 50
Contrudit; ubi post dirus is, diris modis
Squalloreque ac pedore tetro, pessimis
Suis sceleribus debitas poenas luit.
Quo pervagante tam beato nuncio
Late per agros Italûm, perque oppida, 55
Passim puellae virgines ductis choris
Laetae canebant voce tinnula simul,
MARTINE TURRIANE, MARTINE inclyte,
Tu liberator urbium, tu patriae
Servator exstitisti, & omnes omnium 60
Laudes tulisti: nempe nostra tu omnibus
Nobis dedisti habenda, quum nefarios
Latronis ausus contudisti, & omnibus
Mentem addidisti civibus trepidis tuis:
Tibi & mariti conjuges, & conjuges 65
Debent maritos, atque utrique liberos,
Debent parentes liberi tibi quoque:

Tibi

Tibi nos pudicitiam, tibi decus, tibi
Noſtram incolumitatem, tibi jam denique
Nos noſtraque en debemus haec tibi omnia. 70

IV.

SUB IMAGINE

CANIS SCALIGERI.

SCALIGER, anne tua iſtaec, CANIS inclyte,
imago eſt?
O cari capitis cara mihi effigies.
Illene tu, profugis quondam qui vatibus unus
Portus eras, arx, ſpes, praeſidium, columen?
Gaude, heros redivive, heros bellique domique 5
Illuſtris, juncto viribus ingenio.
Ecce tibi ut veteres JOVIUS renovavit honores,
En te ut honoratis junxit imaginibus!
Macte, tuum terſa nitidum rubigine nomen
Factum, jam poterit nulla abolere dies. 10

V.

DE FRANCISCO CARMAGNOLA.

SEDULA apis veluti maturis advolat uvis,
Ut liquido vacuas diſtendat nectare cellas;
Ad te ſic mea ſe celeri tulit impete Muſa,
Bellica quem ad magnos virtus evexit honores,
FRANCISCE, aeternum Pietas per ſecula nomen 5
Cui peperit; cuncto procerum quum adſtante ſenatu
Ac magnis una tecum de rebus agente,
Ad ſcabrum haud veritus confeſtim exire parentem es,
Fortiaque infirmo circumdare brachia collo.
Scilicet hoc unum malit, quam mille referre 10
Geſta tua praeclara, & victo ex hoſte trophaea,
Magnorum decus Inſubrum, Dux inclyte. tandem
Orta licet ſubito fractum te adtriverit ingens
Tempeſtas, Caurique, importunaeque procellae;
Ne dubita, tua te pietas, tua maxima virtus 15
Venturo meritis cumulabit honoribus aevo.

VI.

VI.

IN IMAGINEM ANDREAE GRITTI, *VENETORUM PRINCIPIS.*

UT VIGILI doctoque ratis ſimul acta magiſtro eſt,
Undique ut aërii verrant freta caerula venti,
Nec ventos, validaſve timet ſecura procellas;
Credere ſed pelago, ac magnis ſe fluctibus audet:
Sic Duce te Urbs prognata mari ſic Principe, GRITTE,
Bellorum ut ſciret magnos inſtare tumultus,
Bellorum metuit nullos interrita caſus;
Sed Martis dare ſe magnis cita motibus auſa eſt.
Ut ratis illa eadem docto ſi caſſa magiſtro eſt,
Ut nulli nuſquam turbent freta caerula venti; 10
Et ventos validaſque horret male firma procellas,
Credere nec pelago, aut ullis ſe fluctibus audet:
Sic Duce te Urbs, bone GRITTE, eadem ſic Principe caſſa,
Bellorum ut videat nullos inſtare tumultus,
Bellorum metuit cunctos exterrita caſus; 15
Nec dubiis dare ſe Martis cita motibus audet.
Ut gregibus tauri, turres ut moenibus altis
Sunt decori, ut pelago naves cingentibus undis,
Sidera uti radiis internitet aurea Phoebe;

Sic tu, ſic Venetûm imperii dum ſceptra gerebas, 20
Notus eras proceres inter, bone GRITTE, ſuperbos
Corporis eximia ſpecie, virtute, animiſque.
Noſtratum o ſalve Heroum ter maxime; tu nunc
Et noſtra poſthac ſemper celebrabere Muſa.

VII.

ADVENTANTE SENECTUTE

SE TOTUM DEO DICAT.

JAM cana rugis aſperat
Frontem ſenecta: corporis
Jam membra facta languida,
Senſim recedens in dies
Vitalis ignis deficit. 5
Sed hoc quid ad me, fervida
Patris ſupremi caritas
Me continenter ſi ſuis
Fovere pergit ignibus?
Ergo, o beata vivida 10
Caeleſtis ignis flammula,
Magis magis me tu in dies
Fovere perge ſingulos.
Perge, o beata, perge dum
Mihi uſque perge amburere 15
Mihi uſque perge abſumere
Cor, oſſa, nervos, viſcera,
Venas, medullas, ſanguinem,

Ipſam.

Ipſamque mentem ac ſpiritum,
Ut totus ardeam tibi: 20
Ut atra quum mors frigidas
Afferre mihi volet manus,
Sic flamma totus flammeis
Alis Amoris lucidi
Hinc expeditus, aetheris 25
Altas ad oras ſubvolem:
Cognata ubi inter ſidera
Non jam amplius memor mei,
Unum te amem, ac tua omnia.
Immo ardeam perenniter 30
Factus tui ter maximi
Scintilla parva incendii.

FINIS.

MAR-

MARCUS ANTONIUS FLAMINIUS AD ADAMUM FUMANUM.

QUUM, FUMANE, tuus meusque nuper
Scripsisset mihi Turrianus, omnes
De tua medicos salute parvam
Jam spem habere, dolor meam occupavit
Sic mentem, ut fugeret quies ocellis,
Nec flendi modus ullus esset. ergo
Tam bonum mihi mors acerba amicum
Prima surripiet juventa? amicum,
Quo nec candidior fuit, nec alter
Erit, cui dederat loqui rotundo
Ore pulcher Apollo, sive Graecos
Versus conderet ille, seu Latinos.
Haec, & quae dolor improbus querenti
Suggerebat, amice, sum locutus,
Vix parcens Superis. sed ecce laeta
Venit litera nunc, tuae salutis
Felix nuncia, qua meum revixit
Cor, ut flosculus igne semiustus
Solis, quem reficit benigna Luna
Rore frigidulo: nec ulla mater
Natum depositum videns Deorum
Dono restitui, magis triumphat
Gaudio. Bone Jupiter, benigno
Quem tu numine janua rapacis
Nunc Orci eripuisti, eumdem eodem
Serva numine plurimos in annos.

IDEM

IDEM,

AD EUMDEM;

De obitu Violantillae, uxoris Romuli Amasaei.

INVITUS tibi dico, ADAME; nostri
ROMULI periit pudica Conjux,
Tam pudica, domusque tam regendae
Sciens, tam sobolis ferax venustae,
Quam facundus, & artium est bonarum
Doctus, qui fuit illius Maritus.
Hoc ducente bonus Poëta factus,
Oratorque bonus, bonum Magistrum
Consoleris oportet & soluto,
Et juncto pede; sic levabis aegram
Mentem illius, & Eloquentis ipse
Et Pii simul assequere nomen.

DE NICOLAO ARCHI COMITE.

JULII CAESARIS SCALIGERI.

ILLE decus Latii, patriae mellitus alumnus,
Cujus honorata est Roma superba chely:
Calliopae in gremio numerosa voce relicta,
Quaque novos superat, quaque lacessit avos:
Dum TURRII laudes effusis ambit habenis,
Est factus Genio grandior ipse suo.
Crescere qui potuit tantus? res mira. putetur,
Quem caneret, factus plenior esse Deo.

JOANNIS MATTHAEI TOSCANI.

Ex Pepli Italiae Lib. III. pag. 89.

ITALIS ora tuis, Benace, feracius undis
Nil habet, in geminum qua patet illa fretum.
Utque oleas sileam, vineta, & citria ripis
Imposita, & placido quod natat amne pecus:
Oppida quot, liquida quae aspergine lambis aquarum,
Omnigena excultos arte tulere viros?
Quos inter Dominus praecelsi internitet ARCHI,
Exseris ipse caput, quo modulante, vadis.
Cujus longa dies abolebit carmina, quum tu
Flammivomo amissas sidere flebis aquas.

NICOLAUS ARCHIUS, Comes, venustissimis versibus amatorie lusit, haud eruditione minus, quam sanguine nobilis.

NI-

NICOLAI ARCHII COMITIS CARMINA.

I.

AD SUOS OCULOS.

QUID tot, procaces, lacrimis ſinus fruſtra
Rigatis, oculi? quid cruore manatis?
Hoc eſt, quod inquiunt, ſapere Phrygas ſero.
Tum lacrimari, tum dolere oportebat,
Quum vos, ſceleſti, meque perditum iretis. 5
Quoties rogavi, dicite, quoties ſupplex
Per me obſecravi, per meaſque fortunas,
Ut haec roſetis aequa labra Paeſtanis,
Vultumque cerni lubricum caveretis.
Nil me, ſceleſti, miſeret, aut piget veſtri: 10
Cordis dolet ſolius; quod modis miris
Poenas furoris innocuum luit veſtri.

II.

II.

PEDIBUS SUIS.

AMABO, quo me, lassuli pedes, fertis,
Vix sustinentes semimortuum corpus?
An ad cruentum limen, ad fores illas,
Ubi hanc miselli pene liquimus vitam?
Quid ah, quid ultro convolatis ad mortem? 5
Quid sponte in acres ponitis manum flammas?
Ni vos (sed olim viderit sator Divûm)
Tot ejulatus, lacrimasque pertaesi,
Utcumque tantis quaeritis malis finem.

III.

IN TUMULO M. ANTONII TURRIANI.

ANTE annos scivisse nocet: nam maxima Virtus
Persuasit Morti, crederet esse senem.

IV.

IMITATIO AREOSTI.

DULCES lacrimulae meae puellae,
Quas desiderium pium movebat;
Quae vultus modo candidos rigabant
Guttatim; & roseis genis fluebant:

Ac

Ac ſi rivulus irrigaret unda 5
Flores purpureoſque candidoſque,
Ac per mollia prata laberetur.
Tam ſuavi in pluvia nitens Cupido
Inſidebat, uti ſolet volucris
Ramo, vere novo, ad novos tepores, 10
Poſt Solem accipere aetheris liquorem,
Geſtire & pluviae ore blandiendo.
Has inter lacrimas, & hunc dolorem
Quaſſabat geminas faces Cupido,
Exire ut faceret novas favillas. 15

V.

Verſus LUDOVICI ARIOSTI, *quos imitatus eſt* ARCHIUS, *hi ſunt, ex Libro XI.* ROLANDI *Furentis; ubi Poëta ille maximus Olympiae formam elegantiſſime deſcribit.*

Mentre parlava; i begli occhi ſereni
De la donna, di lagrime eran pieni.

Era il bel viſo ſuo, quale eſſer ſuole
Di primavera alcuna volta il cielo,
Quando la pioggia cade, e a un tempo il Sole
Si ſgombra intorno il nubiloſo velo.
E come il roſignuol dolci carole
Mena ne i rami allor del verde ſtelo,
Così a le belle lagrime le piume
Si bagna Amore, e gode al caldo lume.

E ne la face de' begli occhi accende
L'aurato ſtrale, e nel ruſcello ammorza,
Che tra vermigli e bianchi fiori ſcende;
E temprato che l'ha, tira di forza. ec.

V.

AD CORNELIUM RUFUM.

CORNELI, tibi quis ſcelus hoc perſuaſit, amici
Ut ſcripta amata perderes?
Scripta mei numquam ſatis admirata Triphonis,
Labore lecta maximo,
Fulvo auro pretioſa magis, viridique zmaragdo, 5
Qualem aequor Indicum tulit.
Scilicet ut ſcombris tunicas, * barroque parares,
Dareſque caſeo togam?
Haec promiſſa fides, haec ſunt mandata, tibi quae
Dedi, rogans, & obſecrans? 10
Ut gemmas inter ſervares, digna perenni
Cedro, vel arca eburnea.
Gratia nil Fortunati, nil fama Triphonis
His, impudice, profuit.
Infelix ergo qui te manet exitus? in te 15
Atrox Iambus irruet.
Inviſuſque tibi, laqueo vitam, improbe, claudes,
Vel igne dilues notam.
Aut ſi non homines curant tua facta nefanda,
Dii non inulta liquerint. 20

FINIS.

IN-

* *Vox corrupta, ut videtur.*

INDEX
EORUM

Quae hoc Volumine continentur.

Epistola ad Lectorem.
Hieronymi Fracastorii Vita. Pag. i
Exemplum ex Actis Consiliorum Magnificae Communitatis Veronae, pro erigenda Fracastorii statua. xxiii
Testimonia Doctorum Virorum de Hieronymo Fracastorio. xxv
Syphilidis, sive de Morbo Gallico, Libri tres. 1
Joseph Libri duo. 53
Carminum Liber. 99
Carmina Illustrium Poëtarum ad Fracastorium, vel de Fracastorio, nempe Antonii Marii, M. Antonii Flaminii, Joannis Baptistae Amalthei, Adami Fumani, Ludovici Nogarolae Comitis, Julii Caes. Scaligeri, & Jo: Matthaei Toscani. 173
Testimonia Doctorum Virorum de Joanne Cotta. 185
Carmina ejusdem. 189
Actii Synceri, Hier. Fracastorii, M. Antonii Flaminii, & Jo. Matthaei Toscani Carmina de eodem. 203
Jacobi Bonfadii Elogium a Hieronymo Ghilino Italice conscriptum. 209
Ejusdem Bonfadii Carmina. 211
Paulli Manutii, Jo. Matthaei Toscani, & Alexandri Piccolominei Carmina de eodem. 218

Testimonia Doctorum Virorum de Adamo Fumano. 223
Carmina ejusdem. 225
M. Antonii Flaminii Epigrammata duo ad Fumanum. 234
Julii Caesaris Scaligeri, & Jo. Matthaei Toscani Epigrammata duo de Nicolao Archi Comite. 236
Ejusdem Nicolai Archii Carmina. 237

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. Frà Tommaso Maria Gennari, Inquisitore, nel Libro intitolato: *Hieronymi Fracastorii Veronensis Poëmata omnia, nunc multo, quam antea, emendatiora. &c.* non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino*, Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 12. Agosto 1718.

(Francesco Soranzo Proc. Rif.
(Michiel Morosini Rif.

Agostino Gadaldini Segr.

Catalogus Librorum, qui hactenus prodierunt Patavii ex Typographia Cominiana, sumtibus Vulpiorum instituta.

JOannis Poleni, in Gymnasio Patavino Philosophiae Ordinariae Professoris &c. De Motu Aquae Mixto Libri duo. Quibus multa nova pertinentia ad Aestuaria, ad Portus, atque ad Flumina continentur. 1717. cum figuris. 4.

Joannis Baptistae Morgagni, in Patavino Gymnasio Primarii Anatomes Professoris, Adversaria Anatomica Altera. Observationes complectuntur distributas in L. Animadversiones ad Librum I. Theatri Anatomici Cl. Viri Jo. Jacobi Mangeti, Serenis. Regis Prussiae Archiatri. 1717. 4. chart. major.

Ejusdem Adversaria Anatomica Tertia. Observationes complectuntur distributas in L. Animadversiones ad Partem I. Libri II. Theatri Anatomici Jo. Jacobi Mangeti. 1717. 4. chart. major.

Andreae Naugerii, Patricii Veneti, Oratoris & Poëtae clarissimi, Opera omnia, quae quidem magna adhibita diligentia colligi potuerunt; curantibus Jo. Antonio, J. U. D. & Cajetano Vulpiis Bergomensibus fratribus, cum effigie Naugerii in aes incisa. 1718. 4. chart. major.

Gabrielis Faërni, Cremonensis, Fabulae Centum, ex antiquis Auctoribus delectae, carminibusque explicatae. Accesserunt & alia ejusdem Opuscula. 1718. 4. chart. major.

La Coltivazione di Luigi Alamanni, e le Api di Giovanni Rucellai, Gentiluomini Fiorentini. La prima delle quali Opere si è copiata con somma diligenza dall' Esemplare impresso in Parigi l' anno 1546. da Ruberto Stefano, Regio Stampatore; l' altra dall' antica Edizione che se ne fece in Venezia l' anno 1539. Colle Annotazioni di Ruberto Titi sopra le Api, e con gli Epigrammi Toscani dell' Alamanni. Si è aggiunta una dotta Lettera del Sig. Giovanni Checozzi Vicentino, in difesa del Trissino, due copiose Tavole non più stampate, e varie Notizie intorno alla vita, e agli scritti de' due Poeti. Col ritratto in rame di Luigi Alamanni. 1718. 4. *chart. major.*

Joannis Poleni de Castellis per quae derivantur Fluviorum Aquae habentibus latera convergentia, Liber. Quo etiam continentur nova Experimenta ad Aquas Fluentes, & ad Percussionis Vires pertinentia. 1718. cum figuris. 4.

Hie-

Hieronymi Fracastorii Veronensis Poëmata omnia, nunc multo, quam antea, emendatiora. Accesserunt Joannis Cottae, Jacobi Bonfadii, Adami Fumani, Nicolai Archii, Poëtarum Veronensium, Carminum reliquiae. cum effigie Fracastorii in aes incisa. 1718. 8. chart. major.

Jacobi, sive Actii Synceri, Sannazarii Poëmata. item Gabrielis Altilii, & Honorati Fascitelli Carmina nonnulla. cum effigie Sannazarii in aes incisa. 4. sub praelo.

Brevi prodibunt Jo. Baptistae Morgagni Adversaria Anatomica Quarta, Quinta, & Sexta. item Prima denuo recudentur; additis figuris.

Nec non Liber ita inscriptus:

Marmi Eruditi, ovvero Lettere sopra alcune antiche Inscrizioni, Opera Postuma del Conte Sertorio Orsato, Cav. del Serenissimo Senato Veneto, raccolta dal P. D. Giannantonio Orsato, Monaco Benedettino della Congregazione Casinese, Nipote del suddetto; e da esso di varie Annotazioni illustrata.

Collated and Perfect